



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1706**

Titulus XXII. De Fide Instrumentorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62656)

## TITVLVS XXII.

## De Fide Instrumentorum.

**D**ecretalibus propositarum Probationis specierum altera sunt Instrumenta: quorum fides non minorem probandi vim in iudicio obtinet, quam vivâ voce deponentium attestations, l. In exercendiis 15. C. hâc Rubr.

## ARTICULUS I.

## De Natura &amp; Variedade Instrumentorum.

## SUMMARIUM.

1. Instrumenti etymon ac natura.
2. Divisio in Publicum & Privatum.
3. Publicum conficit Notarius.
4. Jure Communi à solo Principe supremo:
5. Speciali non raro ab inferiore creatus.
6. Ejus solemnitates sunt I. Invocatio Numinis;
7. II. Expressio nominis Papæ vel Imperatoris,
8. III. Anni Domini, atque etiam Judicitionis,
9. IV. Et loci, in quo gestus est actus, super quo conficitur instrumentum;
10. V. Rogatio Notarii,
11. Facta ab eo, à cujus voluntate actus pendet:
12. VI. Rei gesta series.

13. VII. Ut confectum à Notario;
14. VII. Eius manu subscriptum,
15. IX. Et sigillò munitum sit.
16. Publico affine est instrumentum authenticum;
17. Cujus potiores,
18. Et plures species privati instrumenti referuntur,
19. Divisio in Originale & Exemplum.

**I**nstrumenti nomen ab Instruendo derivatum, & latius acceptum est omnem id, quò causa instruitur, sive de re controversa iudici fit fides; ac proinde etiam testes, sive illorum depositiones comprehendit, c. Pervenit, 4. de Testib. cog. & l. 1. ff. hie. Strictè autem & magis propriè denotat quamlibet scripturam, quæ de ejusmodi re fidem iudici facere potest, c. Cum Joannes 10. V. Parri Hostiens. in Summa hie n. 1.

Hoc modò, & in Rubricæ nostre sensu accepti Instrumenti duæ celeberrimæ sunt divisiones. Una, quæ bifariam aliud Publicum dicitur & aliud Privatum; ad quorum prius reduci solent scripturæ Authenticæ, vim & effectum Instrumenti publici habentes; etsi publica propriè loquendo non sint, Panormit. in c. 1. n. 2. Speculat. de Instrument. edit. §. 7. n. 2. & Everardus de Fide Testament. cap. 1. num. 3.

Publicum enim instrumentum propriè acceptum est Scriptura, quæ publica autho-

cā auctoritate, sive à persona publica, scilicet Tabellione seu Notario, legitime, seu cum debitis solemnitatibus est confecta, Decius in l. 1. s. apud 2. C. de Edendo, Speculat. cit. §. 7. & Everard. cit. n. 3.

Notarius, à notis literariis, seu Tabellio, à Tabulis quondam ita nominatus, hodie vocatur Persona, ad testamenta & negotiorum instrumenta conficienda, auctoritate publicā deputata, ut ex l. Contrahibus 17. C. hic, Novell. 44. §. 73. defumi solet, Gonzalez in c. 1. n. 7. Cujusmodi personam deputare, sive Notarium creare, licet summi Principes aut Magistratus superiores, saltem in temporalibus, non recognoscens de Jure soli valeant, Consuetudine tamen introduci potest; ut personarum, certis qualitatibus præditarum, pro Notario seu tabellione: ab eoque confectis instrumentis, aliorum publicorum instar, plena fides in & extra judicium habeatur, arg. c. Cum dilectus §. hic, §. l. 1. C. de Emancip. lib. Everard. de Fide Instrument. cap. 2. n. 7.

4. Eadem Consuetudine, & præsertim summi Principis privilegio, Principes, Comites, aliique magistratus inferiores Notarios aliquando creant: à quibus tamen creati minus, quam à supremo Principe renuntiat, amplam & ferè ad terminos ipsius creatis restrictam obtinent potestatem, cit. Speculat. §. 8. n. 22. Everard. cit. cap. 2. n. 9. & Haunold. Tom. 5. de J. & J. Tract. 4. n. 365. quia Notarius nritur auctoritate ejus, à quo est creatus, Novell. 44. cap. 1. iste autem extra territorium suum publicam non obtinet potestatem, c. fin. de Constitut. in 6. §. l. fin. ff. de Jurisdic. Nisi tamen isti amplio rem potestatem Notariis conferendi speciali prærogativa gaudeant ex privilegio, à summo Principe obtento.

9. Quin, hóc etiam à summo Principe non obtento, ab illis creato Notario po-

testatem, ab eoque confectis instrumentis auctoritatem majorem & extra creatis territorium se extendentem, tribuere valet Consuetudo; sic enim, quantumvis Notariis Cæsareâ, super spiritualibus hisque annexis; & Apostolicâ auctoritate creatis super negotiis & rebus merè temporalibus, extra D. Petri Patrimonium, sive Ecclesiæ territorium temporale, publica instrumenta conficiendi potestatem Jure non competere, non pauci velint: Consuetudine tamen aliud observari; & à Notariis Apostolicis super negotiis & actibus merè prophanis, extra illud territorium: & Imperiali auctoritate, etiam mediata duntaxat, per Comites Palatinos creatis Notariis super rebus in Ecclesiæ territorio sitis, & beneficiis aliisq; spiritualibus, instrumenta publica confici, & confectis fidem ubique haberi, cum Felino in c. Cum P. 15. n. 17. & Speculat. §. 8. n. 26. observant. cit. Everard. n. 5. & Haunold. n. 368.

6. Solennitatum, ad Publicum requisitarum Instrumentum Prima est, Invocatio Divini Numinis, præmitti solita verbis, *In nomine sanctissime & individue Trinitatis*: quam esse de substantia, ut ejus omissione instrumentum vitietur, cum Barbatia in c. 1. nonnulli voluere, aliis id, ullò Jure cautum, inficiantibus; cum quòd Novell. 44. cap. 1. ejus conficiendi forma tradatur sine ulla ejusmodi invocationis mentione: tum verò; quòd ea ipsius Ecclesiastici Juris partibus non omnibus sit præmissa. Sed quidquid sit de rigore Scripti, non-scriptò sive Consuetudinariò Jure & usu spectatò, eam ad publici instrumenti substantiam pertinere, plerique agnoscunt, ut propterea Maximilianus I. Constitutione, Coloniae 1512. edita, Instrumentorum à Notariis conficiendorum formam præscribens, iis Dei omnipotentis invocationem jussit præmitti, Eve,

mitti, Everard. *cit. cap. 2. n. 50.* & Hunnius *in Treutl. Vol. 2. disp. 5. q. 13.*

7. Secunda, expressio nominis Papæ in locis, temporalibus ejus domino subjectis: Imperatoris, Regis, vel alterius Principis aut Magistratus in temporalibus superioribus non recognoscens, in cujus territorio instrumentum est confectum: & anni Regiminis ipsius: & Imperatoris quidem, Regis &c. expressionem Jure necessariam, ex *cit. c. 1.* liquet. Non etiam Papæ; quod ejus nomen exprimendum, ullò canone cautum non reperitur. Sed, ut hoc ita sit, locus tamen est arg. *c. 1. de Novi Oper. nunt.* Cui accedit Consuetudo, quæ dubii Juris optima interpretatur, *c. Cum dilectus 8. de Consuet.* ut, quod ista receptum, ad correctionem evitandam Jure quoque constitutum in dubio existimetur, Felin. *in c. 1. n. 5. cit.* Speculat. §. 2. num. 8. & Everard. num. 53. ubi, Papæ nomen à Notariis non paucis extra ejus temporale territorium exprimi consuevisse: idque tunc maxime, quando ii non solum Cæsareâ, sed Apostolicâ etiam auctoritate creati sunt, rationi consentaneum esse observat.

8. Tertia, est expressio temporis, arg. *c. Quoniam 11. ibi, Designando tempora, de Probat. & c. Abbate 3. §. Porro, ibi, Veluti locus & tempus, de Sent. & re judic. in 6.* scilicet anni à Christo nato sive incarnato currentis tempore contractûs, vel alterius actûs, super quo conficitur instrumentum: uti & Indictionis Romanæ, sive ejus anni, *can. 1. pr. dist. 23. & can. 1. in fine, dist. 73.* qui in Calendario notari solet. Mensis item istiusque diei, *cit. Novell. cap. & §. 1.* sive certi ejus numeri, aut alicujus Festi immobilis, expressione designati: quò actus gestus, vel instrumentum est confectum, *cit. Speculat. n. 8. & 9.* & Covarruvias *n. 1. & 3.* Et si verò Indictionis de Jure magis, quam anni

Dominici expressio substantialis sit; cùm anni quidem à Verbi Divini Incarnatione currentis *can. 1. cit.* mentio sola fiat; Indictionis apponendâ in super necessitas expressa videatur, *c. Inter 6. V. Sed contra, hic, & præsertim cap. 1. cit.* Hodie tamen anni Dominici major, quam Indictionis ratio habetur ex consuetudine; cùm istius non ubique: illius autem tanquam magis noti anni appositio in Christiani Orbis provinciis omnibus ita recepta sit; ut instrumentorum solemnitate hodie magis substantialem eâ non esse, asserat, *cit. Everard. n. 52. & 55.*

Quarta, locus celebrati contractûs, aut alterius negotii gesti, *c. Quoniam cit. ibi, Conscribenda loca, §. Porro cit. & l. Optimam 14. C. de Contrah. Sispul.* cujus expressionem, sicut ad instrumenti valorem necessariam, DD. communis sentus, ita anceps est, an, solam civitatem, castrum, aut villam nominari, sufficiat, vel opus sit magis speciali ipsius etiam domus expressione. Verius tamen est, istam quoque exprimendam: imò à Notariis magis providis & cautis ipsam quoque domus partem, v.g. atrium, vel conclave superius, in quo negotium inter aliquos gestum est, notari consuevisse, monent *cit. Speculat. §. 2. n. 9. Everard. n. 68. Haunold. n. 373. & Pirrhing ad hanc Rubric. n. 7.*

Quinta; ut Notarius ad instrumentum super actu conficiendum sit rogatus seu requisitus, prout desumi ex *c. Causa P. & Novell. 44. cap. 1. pr. cit.* & ratio reddi solet; quòd, sicut testis, cùm non rogatus à parte, vel à iudice citatus ad testimonium dicendum ultro se offert, ita & Notarius, si super actu à nemine rogatus aut iustus instrumentum sponte conficiat, merito sit suspectus; ut quem admodum illius testimonio fides non accommodatur, ita suspecti vitio laboret, & legi-

& legitimum non habeatur instrumentum, cuius confectionem ita sibi arrogavit, Panormit. *in o. l. n. 4. cit.* Speculat. §. 2. n. 13. & Everard. n. 91.

11. Rogari autem secundum hos DD. debet ab eo, vel iis, à quorum voluntate actus pendet; ut, si super contractu, vel conventionem alia, à duorum voluntate pendente, instrumentum conficiendum sit, à contrahentium vel pacificentium utroque; si eò describendus sit actus, ab unius tantum voluntate pendens, ut sunt testamentum, aditio, vel repudiatio hereditatis, protestatio, intimatio, ab isto saltem Notarius rogetur seu requiratur. Si verò actus, ab hominis voluntate independens, à natura vel casu proveniat, ut hominis nativitas, mors, rei interitus &c. ad instrumentum super eo confectionem non sufficit rogatio alicujus, qui ex eo interesse præterdit, sed necessaria est cognitio & autoritas iudicis ad eò; ut, ista non interveniente, confectum instrumentum fidem non faciat in præjudicium alterius, quam rogantis. Ratio est; quia Notarius autoritate publica constitutus est ad ea tantum, quæ pendent ab hominum voluntate, & ex ista effectum sortiuntur: non etiam ad ea, quæ naturam vel casu contingunt; cum de his iudicare sit iudicis: qui ipse, cum de iis cognoscit, peritorum consilium solet adhibere, arg. *l. Septimò 12. ff. de Statu hominum, cit.* Everardus n. 98. & Haunold. n. 385.

12. Sexta, rei seu actus gesti series, v.g. quis, quid, cui donavit, vendiderit: & ex qua causa debeat &c. eique præsentem ordinariè saltem duo testes: quorum nomina eorum propria, vel saltem Notarii manu instrumento sunt inferenda, *cit.* Panormit. *num. 3.* Covarruvias n. 4. & Everard. n. 66.

13. Septima, ut instrumentum ab ipso Notario sit confectum, *cit. e. Cum P. cap.*

1. *pr. C. §. 4. cum;* quòd ejus non solum singularis industria, sed fides quoque specialiter sit electa: ea autem, ad quæ persona sic electa est, per aliù nequeant expediri, *e. fin. §. Sin autem, de Offic. deleg. tum verò;* quòd errori & fraudi facilius locus sit, si super negotio, qui non interfuit, conficiat instrumentum, *cit.* Everard. n. 69. Hunnius g. 9. & Haunold. n. 374. qui tamen pro validis habent instrumenta, quorum ab ipso Notario compositorum sola descriptio, vel ipsa etiam compositio alteri commissa, sed ab ipso Notario correctæ & subscriptione ac sigillo munita fuit. Casu, quòd iste infirmitate, aut inevitabili necessitate alià instrumentum conficere, aut ab alio confectum corrigere & subscribere non posset, instrumentum confectionem alteri, sed non nisi interveniente autoritate iudicis, & ferè etiam partium consensu accedente, committere posset, *e. Cum P. cit.*

14. Octava, subscriptio Notarii facienda manu propria, & expressò Imprimis nomine & cognomine, arg. *can. Cum Redemptor, 12. q. 2.* ut ejus persona omnino certa appareat: deinde autoritate Apostolicà vel Cæsareà, quâ Notarius creatus est, Speculat. *cit. §. 2. n. 11.* demum; quòd sit ab eo, vel aliis, si plures sunt, ex quorum consensu actus pendet, rogatus, *cit.* Panormit. n. 3. Covarruvias n. 5. Everard. *cap. 2. à num. 49. C. n. 91.* & Haunold. n. 382.

15. Nona, appositio sigilli proprii ipsius Notarii, *cit.* Panormit. n. 3. & Speculat. §. 2. n. 15. quòd si instrumentum careat, ex consuetudine, non Jure aliquo scripto, redditur suspectum, *cit.* Everard. n. 119. & Haunold. n. 389.

16. Authenticum Instrumentum, in latiori significatione & effectu spectato, Publicum non infrequenti usu vocatur: proprie tamen & strictius acceptum dicitur, quod,

B b b

quod, licet vel non à persona publica, vel sine debitis solemnitatibus confectum sit, vim tamen probandi fere eandem, quam huiusmodi Instrumentum strictè acceptū habet, *cit. Panormit. n. 2. Pirrhing. ad hanc Rubric. n. 3.* Cujusmodi sunt Primo Protocolum sive liber, in quo actiones, confessiones, depositiones testium, productiones instrumentorum, aliaque probationes, sententiæ, appellationes, & cætera Acta judicialia conscripta referuntur, *c. Quoniam, 11. de Probat. l. 1. apud 2. C. de Edendo. l. fin. C. de Re judic. quæ, ut major fides iis habeatur, autoritate iudicis à Notario conscribi solent. Secundo, Scripturæ ex archivo publico, seu Cancellaria depromptæ, qualescunque demum, & à quocunque confectæ sint, *Auth. Ad hac, C. hic, & Novell. 47. cap. 2. quia locus publicus autoritatem & robur dat scripturæ, etiam non Authenticæ, arg. *Auth. cit. ubi, Bartol. in fine, Panormit. in c. Scripta 2. n. 6. & Mascardus de Probat. conclus. 111. num. 9. Tertio, Matriculæ & libri Censuales, vulgò Sammersteuer vnd Zählbücher, quibus descripta continetur æstimatio bonorum quorumvis subditorum; ut à superiore cum debita proportione imponi possint census & exactiones, *c. Ad audientiam, 13. §. Ad quod, de Prescript. & l. Censu 10. C. de Probat. ubi Bruneman. n. 1. & 3. Quarto, Scripturæ à privatis quidem confectæ, sed publicò Episcopi vel Capituli, Principis Secularis vel alicujus Civitatis sigillò munitæ, *c. Tertio §. c. Post cessionem 7. de Probat. & c. Scriptura, 2. hic præsertim, si à quo id appositum fuerit, aut cujus sigillum sit, in ejusmodi scriptura sit expressum, *Felin. in c. Post cessionem cit. num. 7. & Menoch. de Arbitr. casu III. à n. 3. Quintò, Scripturæ privatæ, Magistratùs seu iudicis autoritate confirmatæ, vel publicatæ,******

*arg. l. Publicati, 2. C. de Testament. Secundo demum Scripturæ, privati manu confectæ, sed trium, aut aliquando duorum adhuc viventium & suam manum recognoscentium testium subscriptione roboratæ, arg. à contrario *c. Scripta cit. & l. Contractus, 17. C. hic, Panormit. in c. Scripta cit. n. 5. & Speculat. §. 3. cit.**

Privatum, sive, ut vocatur, Domesticum instrumentum strictè acceptum, est Scriptura confecta à persona privata, & publica autoritatè vel alio adminiculo non corroborata: cujusmodi sunt Codices seu libri Rationum, & à privato confecta rerum Inventaria: libri Censuales, quibus privatorum census & quæcunque servitia sibi vel aliis debita: libri Mercatorum, aliorumque, quibus conventiones, data, accepta, debita adnotantur: Apochæ, vulgò Quietantiæ, sive chirographa, quibus creditor pecuniam, censum &c. à debitore solutum &c. confitetur: Apochæ sive cautiones, quibus debitor pecuniæ, census &c. solutionem, vel præstationem à se factam, confitetur, & creditori tradit, ut ex solutionibus receptis jus suum, aut hoc præscriptione non extinctum, probare possit, *l. Plures 19. junctâ Glofâ V. Apochæ, C. hic: Literæ, sive Epistolæ familiares amicis, sociis &c. militæ, Vallens. hic §. 1. à n. 6. & cit. Pirrhing. n. 5. Dixi, Strictè; quia latius accepta instrumenta privata ex ante relatis authenticis sunt, quæcunque, non à publica, sed privata persona sunt confecta: licet aliunde, v.g. ob testium accessionem, autoritatem & probandi vim ferè eandem, quam Publica obtineant, *Panormit. de c. 1. n. 2. citt. Vallens. n. 5. & Pirrhing. num. 5.**

Alterâ divisione Instrumentum, præsertim Publicum, aliud Originale & aliud Exemplar nuncupatur. Originale, quod etiam Authenticum vocari solet, est pri-

ma & principalis scriptura solennis, quæ super contractu, vel alio actu est confecta, vulgò aín Hauthbrieff oder Original/ Solennis, inquam; quia, si à solennitate abstrahamus, Originale instrumentum est Protocolum seu liber, in quo rei sive actus gestis series summaria & succincta narratione memoriæ causâ relata adnotatur. Unde etiam Imbreviatura Everard. cit. c. 2. num. 19. ex ea verò seu Protocolli adnotatione cum requisitis solennitatibus confectum, Transumptum sive Instrumentum Originale, Publicum & Authenticum vocatur, Wesenbec. in ff. hic n. 2. & cit. Pirrhing n. 4. Exemplum sive exemplar est scriptura, quæ ex Originali instrumento, sive publicâ Notarii, sive privatâ manu, descripta & transumpta est; quæ vulgò copiam aín Copey oder Abschrift: & si auctoritate seu mandato iudicis à Notario confecta sint, Copia Vidimatæ nuncupantur.

## ARTICULUS II.

## De Vi probandi, quam habent Instrumenta Publica.

## SUMMARIUM.

20. Instrumentum Publicum plene probat,
21. Ea tantum, qua continet dispositivè:
22. Et testimonio duorum,
23. Aliquando plurium æqualem vim habet.
24. Eius copia non probat:
25. Nisi auctoritate iudicis à Notario,
26. Ex justa causa rogato,
27. Originalis diligenter inspecto,
28. Et adversâ parte citatâ sit transumpta.

29. Plene etiam probat Protocolum,
30. Etiam sine Instrumento:
31. Nisi actus celebratus sit in scriptis.

**I**nstrumentorum vis varia est pro personarum ea conscribentium, sigilli, aliarumque solennitatum, imò & custodiæ varietate & antiquitate.

Publicum id, quod in ipso dispositivè continetur, in damnum & commodum utriusque partis plene probandi vim in iudicio habere, liquet ex c. 1. c. Scripta 2. l. in exercendis, 15. C. hic, & l. Cum precibus 18. C. de Probat. adeò; ut ejusmodi instrumentum à Baldo in l. Si in causa 2. C. Quando sive vel privat. probatio probata, & non Probanda nuncupetur; cum dispositivè in eo contentorum veritas nitatur duplici & utrâque maximæ efficacis præsumptione. Unâ, ortâ ex qualitate personæ, specialiter electæ, publicâ auctoritate approbatæ, & ratione officii, istiusque suscepti initio præstiti juramenti ad rem, ut gesta est, in instrumentum fideliter redigendam obligatæ. Alterâ ex solennitatibus, removementibus omnem fraudis suspicionem, Panormit. in c. Scripta cit. pr. Speculat. de Edit instrument. §. 8. n. 1. & Wesenbec. in ff. hâc Rubric. n. 6.

Dixi, Quoad contenta dispositivè; 21. quia quoad ea, quæ in instrumento etiam solenni solummodo narrative & incidenter referuntur, instrumentum etiam publicum in tertii præjudicium fidem non facere, ex communi aliorum sensu advertunt Innocentius in c. Cum in Jure, 31. de Offic. deleg. n. 7. & Bartol. in Auth. Si quis C. de Edendo, n. 8. Sic enim instrumentum, quò vg. prædium, quod Titio à Principe donatum est, mihi mille aureis venditum refertur, meam quidem emptionem contra quemcunque alium:

B b a non e-

non etiam Principis donationem legitime probat; cum citra istius consentum sit confectum. Pari modo instrumento, quod domum, in alicujus Diocesis vel Parochiae finibus sitam, mihi venditam, continetur, mea quidem emptio: non etiam Diocesis vel Parochiae fines probantur; quod donatio in priori: in posteriori instrumento fines narrative & incidenter tantum referantur. Jalon in l. *Cum aliquis* 21. *C. de Jure delib. n. 4.* & Gaill. *Lib. 2. observat. 37. num. 12.* excipientes instrumenta antiqua, quae etiam in tertii praedictum probare, arg. *c. Cum causam* 13. *de Probat. à DD.* est receptum.

22. Dubium de publico instrumento est, an plene etiam probet in actibus illis, in quibus, secluso instrumento, plures, quam duo testes requiruntur. Quod oritur ex *Novell. 73. cap. 3.* duobus testibus, viva voce judicialiter deponentibus, majorem fidem, quam instrumento clare tribuente. Neque id absque ratione; cum, qui viva voce in judicio testificatur, id Religione juramenti & in conspectu judicis faciat, suaeque scientiae rationem reddat. Sed, licet ista non parum augeant fidem testimoniorum, non minus tamen roboris, quam testimonio ab iis, instrumento à publica approbatione personae Notarii, istiusque juramento & ipsius instrumenti praemeditata & accurata descriptione, in eoque adhibitis solennitatibus accedit, ut probe adverterunt, Everard. *de Fide Instrument. cap. 3. n. 10.* & Haunold.

23. *Tom. 5. de J. & J. Tract. 4. n. 393.* instrumento publico plenam fidem etiam in actibus, plures testes exigentibus, adstruentes, permoti textibus l. *In exercendiis* 15. *C. hic.* instrumentis & testimonio depositionibus eandem vim generaliter & indistincte tribuentis: *§ l. Testium* 18. *C. de Testibus,* instrumentum legitime confectum quinque testibus discretè æquiparantis.

Neque hujusmodi sive publici instrumenti fidem minuit, *Novell. cit.* cum; quia ejus *cap. 3.* duorum virorum testimonium instrumentum solummodo privato praeferi, notat *Glossa V. Literarum;* tum rerò; quia ejus dispositio restringenda est ad casum *cap. 3. cit.* quò instrumentum manu ejus, cujus nomen continebat, scriptum negabatur ex comparatione & dissimilitudine literarum; cui duorum, se instrumento subscriptis se asserentium, vivum testimonium merito praevaluit; quòd unus idemque homo characterem & scripturam ex variis causis facile mutet, eamque aliena manus non difficulter imitetur, *cit.* Everardus *n. 7.* Haunold. *n. 393.* & Gudelinus *Lib. 4. de Jure Novissimo cap. 11. V. Ceterum.*

Dubium etiam est de instrumentorum publicorum Copiis sive exemplis. Quibus, nisi cum ipso Originali exhibeantur, plenam fidem non adhiberi, *c. 1. § l. Quicumque 2. ff. hic de iur. & ratio clara esse videtur; quòd, si iis solis crederetur, occasio daretur fraudibus & deceptioni; quia in copia seu exemplis non apparent rasurae, cancellationes, suppositio sigilli & caetera vitia, quae irritum aut suspectum reddunt ipsum Originale, *c. Inter 6. V. Sed contra, hic § c. Cum Venerabilis 6. de Relig. domib.**

Sed ratione hac firmata *cit.* textuà decisio. sicut instrumentorum publicorum copiis, privatà auctoritate manive transumptis, & sine Originali exhibitis non credendum omnino evincit: sic plenae probationis vim non adimit exemplis à Notario, non solum eodem, sive à quibus Originalia confecta sunt cum iisdem solennitatibus transumptis; quia hujusmodi exemplum quodammodo est Originale; cum ad hoc ei nihil desit: nisi quòd à suo auctore non Originale, sed Exemplum seu Transumptum nominetur: *sed e.*



sed etiam à diverso, iudicis tamen auctoritate confectis; nam etiam hæc, perinde ut ipsa Originalia, plenè probare, patet ex *c. fin.* ut cum Interpp. *ibi* & aliis DD. tradunt *cit.* Everard, *cap. 4. n. 35.* & Covarruvias *Prætic. cap. 21. n. 4.* Adhujusmodi tamen exemplum, ut eandè cum Originali vim obtineat, DD. *citt.* præter iudicis Ordinarii, ab eòve specialiter delegati, auctoritatem, & Notarii publici personam, requirunt

25. Imprimis; ut id ad rogationem partium fiat ob justam causam, v.g. quòd justus metus aut periculum sit; ne Originale ob verustatem consumatur: quòd ex Archivo seu alio loco, in quo asservatur, auferri, aliò mitti, & in iudicio produci non possit: quòd pluribus communis instrumenti plura exempla confici expediat; ne unò, quocunque modò, amissò, partibus pereat copia probationis,

27. Panormit. *in c. fin. cit. n. 1. & 2.* Deinde, ut iudex diligenter inspiciat instrumentum Originale, an revera publicum & nullà sui parte vitiosum sit, *c. fin. cit. partim;* quia si originale non esset publicum, sed privatum, ejus exemplum, quantumvis solenniter confectum, probandi vim aliam non haberet, quàm ipsum Originale, ex quo est desumptum, *Auth. Mulier magis C. de Cleric. & Episc. partim verò;* quia visibilia vitia, ut rasura, cancellatio & similia in loco suspecto, ejus exemplationem impediunt, Everard, *l. cit. n. 21.*

28. Et demum; ut ad ejus ab uno petitam translumptionem citetur pars adverla, cujus ea interest, *arg. l. de Unoquoque 47. ff. de Re judic.* personaliter, aut in absentia ad domum, si una vel plures ac certæ: vel, si una vel plures personæ incertæ sint, generaliter per edictum. Si autem citantis jurisdictioni subjectæ non sint, ad propositam exemplationem, non arctatoriâ, sed monitoriâ tantum & invitatoriâ cita-

tione sunt vocandæ, Felia. *in c. fin. cit. n. 6.* & Everhard, *cit. cap. 4. an. 38.* Nisi partis citationem excluderet periculum moræ, vel in provincia aliqua invaluisse consuetudo, vi cujus exemplum, parte non citatâ, conficeretur; his enim, uti &, quòd exemplum idem, qui originale, conficit, & nonnullis aliis casibus, citationem omitti posse, advertunt *cit.* Everard, *n. 4.* & Gonzalez *in c. fin. cit. in fine.*

Non minorem, quàm hujusmodi solenne instrumentum, probandi vim habet 29. ipsum Protocolium, ad partium rogationem Notarii manu conscriptum: ex quo illud extractum & confectum est; cum sit illius quasi Matrix & Originale, tantæque fidei; ut post obitum Notarii, à quo conscriptum est, auctoritate seu mandatò iudicis Ordinarii, alia instrumenta publica, & plenè præbantia ex eo desumi, & in formam publicam redigi possint, *c. Cum P. 15.* & propterea; ut emergente dubio ex eo veritas probari queat, id penes se retinere Notarius jubeatur, *c. Quoniam 11. de Probat.* Unde de Protocollo procedit tritum, *Propter quod unumquodque tale & illud magis tale,* Panormit. *in c. cit. n. 3. cit. Speculat. §. 4. n. 15.* Everard *de Fide Instrumenti. cap. 3. n. 33.* Mascard. *de Probat. conclus. 712. n. 9.* & Haunoldus Tom, *5. de J. & J. Traç. 4. num. 397.*

Hanc tamen Protocolli vim ambigam reddi, aliqui existimant *c. Cum P. cit.* textu, quòd, Notariò ante instrumenti perfectionem mortuò, ejus scriptura habetur pro imperfecta & destituta vi probandi: quam tum demum obtinet, cum Ordinarii iudicis auctoritate ab alio Notario in publicam formam fuerit redacta & perfecta. Accedit ratio; quia Protocolium principium duntaxat, sive inchoatio quædam est instrumenti, non instrumentum completum; ac proinde, antequam compleatur,

pleatur, eâ, quam publicum instrumentum obtinet, probandi vi caret, *arg. l. Cum Silianum* 11. *C. de His, quibus ut indign.* in cuius fine Imp. *Nihil*, inquit, *adum creditur, dum aliquid addendum superest.*

30. Sed ratione hâc potiores sunt allatæ pro Protocollo; cum enim ex isto plenè probantia instrumenta non solum ab eo, à quo conscriptum est, sed post ejus mortem ab alio quoque Notario detumantur, *c. cit.* & quæ in delumptis obscura, & dubia sunt, interpretationem & declarationem inde accipiant, *c. Quoniam sit*, plenè probandi vi ipsum quoque pollere, est necesse; ne, quâ ipsum caret, vim conferre videatur. Accedit; quòd Protocollo legitime confectum plerasque instrumenti publici habeat solennitates: & licet instrumenti publici perfectionem non habeat, perfectum tamen sit in ratione Protocolli, eam, quâ pollet, probandi vim obtinentis à conscribentis publica autoritate; à qua eam obtinet ex ipso solenniter depromptum instrumentum.

Neque obstat; quòd, Notariò mortuò, ex eo instrumentum confecturo alteri Notario necessaria sit autoritas iudicis, *c. Cum P. cit.* quia hanc exigendi ratio non est; quod protocollo per se rei gestæ non faciat fidem: sed ut Notarius ad instrumenti confessionem eò, quod non ipse, sed alius conscripsit, Protocollo valeat uti: vel, ut ad eius confessionem pars, cuius ea interest, citetur, *Barboia in c. cit. n. 3.*

31. Magis in speciem, re ipsa etiam non adversatur. *l. Contrarius* 17. *C. hic*, quâ venditiones, permutationes, donationes, arrharum dationes, transactiones & negotia alia non aliter vires habere asseruntur, quàm si instrumenta fuerint conscripta & completa; quia textu isto sermo expressè est de Contractibus, quos in scri-

ptis fieri contrahentibus initio placuit; tales enim ex contrahentium intentione, etiam in Protocollo descripti, ulla vires antè non habent, quàm res instrumentò comprehensa, & in Mundum, ut Imp. *l. cit.* loquitur, sive in chartam puram cum debitis solennitatibus fuerit redacta. Alia ratio est contractuum & actuum, qui in scriptis celebrati non sunt, sive, qui ex contrahentium intentione robur à solo paciscentium consensu absque scriptura habent; hos enim Protocolli tenor non minùs, quam ex isto extractum, & super iis confectum publicum instrumentum probat, *cit. Everard. n. 34. Haunold. n. 398. & Bruneman. in l. cit. n. 2.*

### ARTICULUS III. De Vi probandi, quam Instrumenta Authentica habent.

#### SUMMARIUM.

32. Plenè probant Acta judicialia,
33. Probatoria,
34. Et aliquando etiam iudicij Ordinaria:
35. Sed inter easdem personas,
36. Et ad eundem finem.
37. Eandem vim habent scriptura publici Archivi,
38. Et libri censuales publici.
39. Uti & scriptura Archivi Monasterij, habentis jus Regalium.
40. Hòc non gaudentis scriptura contra Monasterium:
41. Non pro isto contra certium plenè probant:
42. Nonnullis casibus exceptis.
43. Plenè probant libri Officialium publicorum,
44. Et scriptura sigillò authentico munita,

45. In negotiis ad sigillantis officium pertinentibus.  
 46. Libri mercatorum de Jure vix ulti-  
 lam :  
 47. Ex consuetudine semiplenè,  
 48. Et aliquando plenè probandi vim  
 habent.

32. **E**andem quam Publica, sive à No-  
 tario cum debitis solemnitatibus  
 confecta instrumenta probandi  
 vim, etiam in judicio, obtinent  
 instrumenta sive scripturæ Authenticæ.

Et primò quidem Protocolum ju-  
 dicialia, sive Acta publica, quæ coram ju-  
 dice competente vel alio, jurisdictionem  
 contentiosam exercente, post: imò etiam  
 ante litis contestationem fiunt; nam eti-  
 am hæc inter easdem personas, ab iisque  
 causam habentes, & in ordine ad eundem  
 finem, plenè, etiam in alia instantia, pro-  
 bant, c. *Quoniam* 11. de Probat. & l. *fin.*  
*C. de Re judic.* sic enim, si quis v.g. per le-  
 gitimos testes probet, se esse dominum  
 fundi, illorum testimonia, in alio judicio  
 producta, valent & profunt emptori,  
 Panormit. in c. *At si clerici* 4. de Judi-  
 cii n. 12.

33. Et quidem, si Acta Probatoria, & ad  
 controversiæ decisionem tendentia sint,  
 ut confessiones, testium depositiones &c.  
 inter easdem personas non solum in eã-  
 dem coram iudice, prioris subrogato, sed  
 in alia quoque instantia vim retinent &  
 probant: quantumvis, quòd Instantia  
 lapsu temporis, vel per abolitionem ab  
 observatione iudicii perempta sit, ex il-  
 lis sententia non sit lata, l. *Cum antea* 5.  
 §. 2. C. de Recept. arbit. cit. Everardus  
 cap. 6. n. 65. & 44. Haunold. n. 468.

34. Si verò Acta iudicii Ordinatoria sint,  
 ut citatio, litis contestatio &c. fidem  
 inter easdem personas in eadem instantia  
 faciunt etiam coram iudice, in locum

prioris subrogato, c. *fin.* de Probat. & c.  
*Causam* 11. de Test. & attest. In alia autem  
 instantia v.g. coram superiore, ad quem  
 causa per appellationem est devoluta, fi-  
 dem solummodo faciunt, quando primæ  
 instantia finita est per sententiam definiti-  
 vam, c. *Per tuas* 50. de Appell. & l. *Ita*  
*demum* 13. C. de Procurat. Casu autem,  
 quò instantia lapsu temporis, aut senten-  
 tiâ ab ea vel observatione iudicii duntaxat  
 absolutoriâ perempta est, Acta iudicii  
 Ordinatoria pereunt adeò; ut, si no-  
 va instantia inchoetur, citatio, productio  
 libelli, litis contestatio & alia ad iudicii  
 ordinem pertinentia, sint iteranda, l. *Cum*  
*litem mortua* 2. ff. *Judicatum solvi*. Ratio  
 est; quia sunt acta instantiæ: quæ proinde  
 peremptâ, etiam ipsa interire est necesse,  
 l. *Properandum* 13. C. de *Judiciis*, Ma-  
 ranta de *Ord. Judic.* p. 5. n. 55. cit. E-  
 verard. n. 36. & Haunoldus n. 460. exci-  
 pientes effectus, ipsam litem sive merita  
 causæ respicientes, ut sunt interruptio  
 præscriptionis & malæ fidei; nam horum  
 effectuum prior instantiâ per lapsum tem-  
 poris, l. *fin.* C. de *Præscript.* 30. vel 40.  
 annor. posterior verò, eã quomodocun-  
 que peremptâ, durat, Bartolus in l. *Li.*  
*apud quem* 2. C. de *Edendo*, n. 12.

Ut autem Acta Judicialia, tam Pro-  
 batoria, quàm iudicii Ordinatoria, eam  
 probandi vim habeant, imprimis acta esse  
 debent coram iudice competente; quia co-  
 ram incompetente acta nulla esse, iisque  
 tanquam non judicialibus, competentem  
 iudicem stare non teneri, explorati juris  
 est, c. *At si clerici* 4. pr. de *Judiciis*, Cla-  
 rus §. *fin.* q. 36. n. 49. Laiman in c. cit. n. 2.

Deinde personæ esse debent eadem, 35.  
 vel saltem earum successores, easque re-  
 præsentantes: non diversæ; quia rem in-  
 ter alios actam aliis non præjudicare. Re-  
 gula c. *Quamvis* 25. de *Sent. & re judic.*  
 l. *Res inter* 2. C. *Quibus res judic. non no-*  
*ceat*, &

est, & ratio est; quia persona diversa, si in iudicio contendisset, fortè causam feliciter egisset, nec succubisset, *citt. Everard. n. 72. & Haunold. n. 472.*

36. Demum, utriusque instantiæ esse debet idem finis; quia acta, ad certum aliquem finem relata, respectu finis ab eo diversi, etiam inter easdem personas, si dem non facere, colligitur ex *c. Veniens 38. de Test. & arrest. ubi acta & testimonia, producta in iudicio Summario, in Plenario iudicio non probant, l. Cum quaritur 12. ff. de Except. rei iudic. Felin. in c. cit. n. 19. Panormit. in c. At si clerici cit. n. 12. & Gaill. Lib. 1. observat. 103. n. 3.*

37. Secundò, Scripturæ quæcunque ex archivo publico depromptæ, per *Novell. 49. cap. 2. §. 2.* & inde desumptam *Ausb. Adhac. C. hic:* quæ non solum inter subditos ejus, cujus autoritate archivum est constitutum, in & extra territorium existentes, sed inter extraneos quoque plenam fidem non minùs, quàm instrumentum publicum facere, aliis DD. relatis docent *citt. Everard. cap. 7. n. 35. & 47. & ex eo Haunold. n. 496.*

Est autem Archivum publicum Locus publicæ autoritate Principis, vel alterius Legislativæ potestate præditi magistratûs constitutus, & alicujus officialis publici fidei & custodiæ commissus; ut in eo reponantur & asserventur tabulæ, sive instrumenta, scripturæ, rerumque gestarum monumenta, quæ Princeps & magistratus ille pro Authenticis, approbatis & fide dignis haberi vult: etiam si extra talem locum inventa publica vel authentica instrumenta non essent, *l. Moris 9. §. 6. ff. de Pœnis, junctâ Glossâ V. Archivo, & ibi DD.* Ratio, ob quam in tali loco sive Archivo publico repertis perinde ut publicis instrumentis plena fides habenda sit, ea est; quòd non appareat ulla ratio, cur propter constituentis autoritatem tanta

vis conferatur instrumento, confectò à Notario, quòd plenam fidem in & extra territorium apud omnes facit: & non etiam scripturis productis ex publico archivo; cum eadem autoritate scripturæ, quæ rerum gestarum memoriam continent, in archivo asserventur, quæ Notarius est constitutus.

Dubium est, an, ut ex Archivo deprompta scriptura plenam fidem faciat, dicti officialis sive Archivarii testimonio debeat esse munita. In quo affirmativa delumi solet ex *§. 2. & Auth. cit. verbis, Item charta, quæ profertur ex Archivo publico, testimonium publicum habet:* quem tamen textum aliqui sic intelligunt; ut, ex Archivo depromptæ scripturæ plenam fidem tum demum habendâ, velint, si Archivarii manu subscripta fuerit, cum in archivo custodienda reponeretur. Alii frequentiori & meliori calculo sufficere existimant inscriptionem sive adnotationem ab Archivario factam, quando scriptura inde depromitur, ut ad iudicii locum deferatur: imò sufficere aiunt, quòd eam ex Archivo publico depromptam, certò, quòcunque demum modò, confectam quantumvis nec repositionis, nec extractionis tempore fuerit subscripta; quòd id satis liqueat ex *c. Ad audientiam 13. de Prescrip. quòd textu censuali libro plena fides habetur; quòd repertus sit in Camera Cardinalis, eumque ab isto, dum S. R. E. Camerarius esset, è Camera B. Petri sive Archivo sumptum, constare, citt. Everard. n. 42. & Haunold. n. 494.*

Tertiò, eandem probandi vim salutem inter superiorem & subditum habent Libri Censuales: quibus debiti census, bonorum æstimatio & similia sunt descripta *l. Censu 10. ff. de Probat. Non etiam in præjudicium tertii, qui nec intervenit, nec consensus in descriptionem, l. Solennibus 25. C. de R. V. l. Censuali 7. C. de Donat.*

de Donat. cit. Everardus n. 7. & Haunold.  
à n. 483. Ubi

39. Dubium & controversia movetur,  
quam probandi vim habeant Libri cen-  
suales Ecclesiarum, Monasteriorum & si-  
milium communitatum, aut etiam illu-  
strum Personarum: & scripturæ de-  
promptæ ex eorum Archivis. Non qui-  
dem, si personæ istæ, aut illorum Prælati  
in territoriis suis Imperii & Regalium ju-  
ra exerceant; ista enim exercentium Ar-  
chivum sub custodia alicujus publici Offi-  
cialis, scilicet Cancellarii, indeque pro-  
ducta instrumenta plenam fidem facere,  
satis convenit inter DD. Sed, si eusmo-  
di jure non gaudeant.

40. Quò etiam casu libris & scripturis  
illis plenè probandi vim adstruunt De-  
cius *Consil. 136. post med.* & Boërius *de off.*  
*Burdeg. q. 105.* & desumunt ex *c. Ad*  
*audientiam cit. & l. Censu 10. ff. de Pro-*  
*bat.* quorum textuum priori hujusmodi  
liber censuali in vim probationis allegat-  
ur, & testibus potior habetur: poste-  
riori, ejusmodi liber monumento publi-  
co æquiparatur. Sed malè; quia *cit.*  
textu utroque sermo est de Libro Censuali  
publico; cum priori, liberum è B. Petri Ca-  
mera extractum, disertè exprimitur. De  
eodem sermo est textu posteriori, in quo  
vocem *Publicum*, sicut ad monumenta, sic  
etiam ad instrumenta censuum referrì, cum  
Felino *in c. cit. n. 11.* & Baldo *Vol. 1.*  
*consil. 37.* advertit *cit.* Everard. *cap. 7. n.*  
*80.* propositam controversiam resolvens  
beneficè distinctionis inter casus, quibus  
ejusmodi libri & scripturæ producuntur  
pro, vel contra Ecclesiam, Monasterium  
&c. quod illos conscribi, aut in suo Ar-  
chivo seu chartophylacio asservari cura-  
vit. Et contra ea quidem plenæ proba-  
tionis vim iis competere, cum *cit.* Felino  
*n. 16.* & Cravetta *de Antiquit. temp. p. 1.*  
*§. Quid in libro n. 6.* & aliis concludit,

ex hac sua conclusione inferens, ex libro  
censuum vel reddituum alicujus Ecclesiæ  
probari, prædium, quod in eo descriptum  
non reperitur, non pertinere ad ejus do-  
minium directum, aut ei esse censuale,  
*arg. c. Quoniam cit.* nisi, id probabili i-  
gnorantià omisum, probetur contra ex-  
traneum non subditum. Pro iis autem  
eos plenè probare, cum Felino *l. cit.* Baldo  
& Salyceto *in l. Exemplo 7. C. de Probab.*  
negat *n. 80.* quòd ejusmodi libri & scri-  
pturæ reipsa sint scripturæ privatae: quæ  
pro scribente non probant, per *l. cit.* cu-  
jus textus est, *Neque fiscum, neque alium*  
*quemlibet ex suis annotationibus debi-*  
*tum probare posse.*

Dixi, *Contra non subditum*: imò et-  
tiam contra subditum; nam etiam hoc  
evincit generalitas textus recitati: nisi ab  
isto liber vel scriptura, ex hujusmodi ar-  
chivo seu chartophylacio deprompta, vel  
quòd publicè auctoritate confecta, aut  
publicò sigillò munita sit, esset verè au-  
thentica: vel pro tali habita, aut in oc-  
currentibus dubiis notabili temporis spa-  
tiò recepta & observata fuisset: vel in re-  
bus modici præjudicii, vel in antiquis &  
hominum memoriam excedentibus fa-  
ctis, in quibus ob probationis difficulta-  
tem leviora argumenta recipi solent. Ita  
Wesembec. *in ff. h. n. 6. cit.* Everardus *n. 8.*  
& Haunold, *n. 307.* ejusmodi libris &  
scripturis pro ipsis Ecclesiis, Monasteriis  
&c. communiter aliqualis saltem præ-  
sumptionis, ad semiplenam probationem  
accidentis, vim tribuentes; quòd Eccle-  
siarum, Monasteriorum &c. Prælati &  
alii administratores non faciliè agant frau-  
dulenter, sed ferè bonà fide procedant.

Quartò, plenam fidem etiam faciunt  
libri Officialium, publicè auctoritate de-  
putatorum, quoad ea, quæ pertinent ad  
ipsorum officium: & quoad eos, inter  
quos res est gesta: idque probabilis e-  
tiam cen-

C c c

tiam cen-

tiam contra eum, qui subditus non est, arg. l. Prator 4. & l. Argentarios 10. ff. de Edendo; quia non est ratio, cur propter auctoritatem publicam Protocollo & instrumentis à Notario confectis, & non etiam ejusmodi officialium libris, quoad ea, quæ ex publico suo officio in iis descripterunt, plena fides adhibeatur, saltem, si contrarium non probetur, cit. Everard. à n. 57. & Haunold. à n. 497.

44. Quintò, Scripturæ quæcunque, sigillò publicò & authenticò munitæ, etsi non pro sigillante, supremo Principe inferiore, contra eum tamen & ad eum finem, ad quem sigillum appositum est, plenè probant: ut patet ex Privilegiis, concessionibus & contractibus Principum & magnatum: quæ, si eorum sigillum appositum sit, plenam fidem contra ipsos facere: imò, in hoc eorum robur & substantiam præcipuè consistere, ex Afflicto dec. 21. n. 9. tradit Covarruvias *Prætic. cap. 22. n. 9. in fine.* Isdem, si Episcopi, vel alterius Magistratùs Ordinarii, etiam Secularis, Capituli &c. authenticò (non alicuius merè privati) sigillò roboratæ, & duorum vel trium testium subscriptione firmatæ sint, in quibuscunque negotiis plena fides habetur; quòd instrumento publico æquiparentur, c. Scripta 2. ibi, *Aut authenticum sigillum habuerint, per quod possit probari.* Panormit. in c. Post sessionem 7. de Probat. n. 4. Felin. n. 8. & Everardus cap. 12. n. 25.

45. An autem, ut privatæ scripturæ, ejusmodi sigillò munitæ, plenè probent, testium incriptio sufficiat, vel necessaria sit eorum subscriptio, dubium est; cujus resolutio pendet à qualitate negotii, super quo ejusmodi literæ sunt confectæ; si enim hoc ad ejusmodi magistratùs sigillantis jurisdictionem & officium spectet, ut scriptura plenè probet, testium subscriptionem non necessariam: si verò

negotium ab eorum officio sit alienum, eis in notabile præjudicium tertii plenam fidem absque testium subscriptione non haberi, aliis DD. relatis, censet laudatus Everard. à n. 30. Nisi in rebus & factis antiquis: aut nisi in aliis etiam generaliter plenam fidem eis, testibus non subscriptis, conferat consuetudo: cui hac in re in utroque Foro multum tribuendum, defumitur ex c. Cum dilectus 9. ibi, *Si consuetudo patrie obtineat, ut instrumentis fides habeatur.*

Dubium est de libris Rationum mercatorum & camporum: quibus, si alia adminicula non accedant, Jure præcisè spectatò, pro ipso scribente etiam semiplenæ probationis vim competere, merito negant Panormit. in c. Scripta 2. n. 9. & Bartol. in l. Admonendi 31. ff. de Jurjurando n. 24. quòd non authenticæ, sed merè privatæ sint scripturæ, & vim aliunde non habeant, quam à scribentis confessione & assertione; ac proinde se solius plus non probent, quam viva vox mercatoris, quæ in præjudicium tertii nec semiplenè probat, l. Nullus 10. ff. & l. Omnibus 10. C. de Testib.

Ex consuetudine tamen, ab ipso etiam scribente productis ejusmodi libris semiplenè, & unò teste, vel etiam juramentò suppletoriò accedente, plenè probandi vim apud Gaill. Lib. 2. observat. 20. n. 2. sententia DD. communis adstruit, si quatuor concurrant: nimirum, si mercator sit bonæ famæ & integræ existimationis: si rationes ab eo propriè manu conscriptæ: si causa obligationis expressa: si libro non solum credita, sed debita quoque, sive non ea duntaxat, quæ ab aliis ipsi, sed etiam, quæ ipse aliis debet, sint adnotata. Quibus concurrentibus eam probandi vim mercatorum libris conferens consuetudo rationalibus inde est; quòd, cum ipsi emptoribus fidem sine chirogra-

chirographo habere soleant, plus quoque fidei ipsi, eorumque libris tribuendum, æquitas dicitur.

48. Quin ejusdem consuetudinis, imò & statuti, vi alicubi mercatorum libris & rationibus inter ipsos mercatores plena fides etiam pro scribentibus, eos producentibus, habetur: si imprimis libri secundum arbitrium peritorum mercatorum regulati: deinde mercatores eos conscribentes bonæ conditionis & famæ, & adversarius nihil contra ipsorum libros probet: & demum mercatores scripturam suam juramentò confirmant, *c. 111. E. verard. cap. 7. n. 102. & Haunold. n. 508.*

## ARTICULUS IV.

## De Vi Instrumentorum Privatorum.

## SUMMARIUM.

49. Pro scribente non probat scriptura privata,
50. Etiam testium, jam mortuorum, inscriptione munita:
51. Nisi ab ejus adversario sit producta.
52. Contra scribentem plenè probat,
53. Si exprimat causam v. g. debiti.
54. Aliquando etiam, si hac non expressa:
55. Et à scribente recognita sit,
56. Vel ejus esse, per testes de re contenta,
57. Vel de ipsa scriptura deponentes,
58. Vel per comparationem literarum probetur.
59. Eadem non probat contra tertium:
60. Nisi successor sit scribentis,
61. Vel eam subscribendò &c. approbaverit.
62. Epistola probat contra scribentem,

63. Eamque lectam sine contradictione retinentem.
64. De vi, quam habent libri Rationum,
65. A mercatoribus, sociis,
66. Tutoribus, curatoribus & similibus conscriptarum:
67. Aut à procuratore inscripta charta, quam bianca vocant.
68. De vi privatarum sigillò munitarum,
69. Et aliarum quarundam ejusmodi scripturarum.

49. Instrumenta Domestica & Privata, si ve scripturæ & chirographa privati hominis manu exarata aut subscripta, variam vim habent pro varietate casuum, quibus pro vel contra ipsum scribentem, vel pro aut contra alium tertium producuntur.

Primò enim pro ipso scribente producta, si testium subscriptione, sigillò authenticò, aliòve adminiculò non adjuventur, plenæ, aut etiam semiplenæ, probationis vim ordinatiè non obtinent, per Regulam *l. Instrumenta 5. §. l. Rationes 6. C. de Probat.* & claram rationem; quia scriptura scribentis quædam assertio & testimonium est; cum aliquid vocibus, linguâ, aut calamo figuratis, asserere paria sint, *l. Non figura 38. ff. de O. & A.* in causa autem propria nemo idoneus est testis, *l. Nullus 10. ff. §. l. Omnibus 10. C. de Testib.* Accedit; quòd, si ejusmodi scriptura pro scribente probandi vim haberet, quilibet & cujus rei vellet, probationem sibi parare, & scribendò debitorem constituere posset; quod exemplò perniciosum & iniquum foret, *l. Exemplo 7. C. de Probat. §. l. fn. C. de Conveniend. §. l. c. i. debet.* Atque hoc adeò verum est; ut ejusmodi scriptura, etiam testium inscriptione munita, ijs mortuis, in judicio exhibita, pro scribente

C e c a

bente

bente probandi vim non habeat, *c. Scripta 2.* cum enim scriptura privata, publicæ alicujus autoritatis adminiculò non firmata, pro scribente fidem non faciat: nisi quatenus ab inscriptis testibus comprobatur, aut sustinetur, *l. Scripturas 11. Auth. Si Quis C. Qui potior in pign. Et l. Instrumenta cit.* & ab istis defunctis comprobati non possit, fidem, sive, ut *c. Scripta cit.* textus loquitur, *Alicujus firmitatis robur* amplius non habet: et si robur & probandi vim post testium, imò ipsius Notarii, obitum integram retineat instrumentum publicum, *c. Cum P. I 5.* quòd pro autoritate & fide publica ex Juris solennitatibus in eo apparentibus maximè præsumatur, *arg. c. Ad audientiam 13. de Prescript. Gonzalez in c. Scripta cit. n. 5.*

Quantumvis autem hujusmodi chirographa, seu scripturæ privatæ etiam plures & ad eundem finem tendentes, non probent pro scribente: imò etiam pro ejus hærede ac successore quocunque, *arg. l. Si intra 8. C. de Non num. pecun.* cum iste quantumcunque privilegiatus sit, personæ tantùm defunctæ jure utatur, ac proinde propriò suo privilegiò non defendatur, *l. Qui in ejus 177. ff. de R. J.* aliquando tamè etiã scribenti istiusq; hæredi patrocinantur: veluti, cum ejusmodi scripturam pro se producit, eaque utitur scribentis, istiusque successoris adversarius; hic enim, cum eò jure, quod in alterum statuit, uti etiam ipse debeat, *c. Cum omnes 6. de Constitut.* Scripturam contra adversarium productam agnoscere cogitur etiam contra se, *Auth. Adhac C. hic;* saltem quoad articulum connexum. Non etiam quoad separatos, præsertim si, qui scripturam produxit, protestatus est, eam tantùm quoad articulos pro se facientes acceptari, Everard. *cit. cap. 9. n. 176.*

52. Secundò, instrumentum seu scripturam privatam contra scribentem, eive,

ab alio quocunque exaratæ subscribentem, vel sigillum suum apponentem, eademve aut suam manum vel sigillum recognoscentem, licet testium subscriptione, sigillò aut aliò adminiculò munita non sit, sed tamen debiti causam expressam habeat, plene probandi vim habere, patet *ex c. Si cautio 14. bñc l. Ne in arbitris 4. §. 1. C. de Recept. arbit. l. Scriptura cit.* & Regulæ instar receptum est à DD. illi publici instrumenti vim merito tribuentibus; cum sit eam scribentis & recognoscentis propria & deliberata confessio; contra quam quia probatio non facile admittitur, *l. Cum de indebito 25. §. fin. ff. de Probat.* cum suæ confessioni acquiescere quisque debeat, *l. Generaliter 13. C. de Non numerata pec. sicut adversus confessum, l. Proinde 25. in fin. junctâ Glossâ fin. ff. ad L. Aquil. Et l. Julianus 3. ff. de Confess.* ita adversus ipsum judicantis partem nullæ sunt, nisi in condemnando, *sic. Everard. cap. 3. n. 6.*

Neque obstat; quòd confessio extrajudicialis, adversariò absente facta, vix implenè: & si nulla exprimat causam, vix aliquid probet, iuxta dicta *Tit. 18. n. 34.* quia maior vis est assertionis scriptæ, quàm oretenus prolata, partim; quòd scriptura semper, ac proinde etiam in presentia adversarii, si exhibeatur, loqui videatur: partim; quòd maiori deliberatione & cautela scribere, quàm loqui solemus, Panormit. *in c. Scripta 2. n. 10.*

Dixi primò, *Si expressa sit causa* pro ta debiti ex mutuo, empto, locato, &c. si enim nulla causa expressa sit, scriptura privata eam recognoscenti, sed ex aliqua causa legitima id, quod eà contingitur, deberi neganti non præiudicat: nisi, qui in ea se fundat, debiti causam alià ratione valeat probare, *c. Si cautio cit. §. fin. Et l. Generaliter cit. ut cum Glossâ fin. in §. cit. & Felino in c. cit. n. 2.* advertunt al-



legati Everard. n. 14. & Haunold. n. 515. ubi regulariter, etiam in confessione sine causa in instrumento publico facta, actionem adversus confessum, & istius obligationem etiam Naturalem nasci negant; quod facta per errorem; ac proinde in ea deficere praesumatur consensus, l. Si per errorem, 15 ff. de Juridict. qui ex promissione orta Naturalis obligationis est fundamentum. Verum; quia in dubio, cum non apparet nec probatur, error praesertim in proprio facto non praesumitur, c. Ab excommunicato, 41. de Rescript. & l. fin. ff. Pro suo, aliam & Juris principii magis consonam rationem reddit Donellus in l. Generaliter cit. num. 5. quod, cum omne debitum, sive aliquid dandi aut faciendi obligatio, & hanc recipiens petendi jus atque actio, non nisi ex causa seu titulo aliquo oriatur, §. fin. Insti. de Oblig. ex quasi contr. quando ea chirographo expressa non est, & aliunde probari non potest, chirographum satis probare de Jure non censetur.

§4. Sunt tamen etiam casus, quibus chirographum, seu scriptura privata à scribente recognita, etiam causam non expressam, plene probat adversus scribentem: cujusmodi sunt Primò, quò scribens bona sua Ecclesiae, vel alteri loco, aut causae piae donata, aut ipsi, vel alicui pauperi, vel bene merito promissa, profitetur, Panormit. in c. Si cautio cit. n. 2. & ibi Felinus n. 6. quòd his casibus donatio praesumatur. Secundò Confessio liberatoria, facta ab eo, qui debitum remittere potest, arg. l. Tale 40. ff. de Pactis uti & quò quis rem non esse suam, confitetur, citr. Panormit. n. 8. & Felinus n. 2. Tertio, confessio facta in ultima voluntate; quòd, etsi debitum non probet, vim tamen legati aut fideicommissi habeat, si verba admittant, l. Lucius 88. §. 10. ff. de Legat. 2. & l. 1. c. de Falsa causa adject. citr. Pa-

normit. n. 2. & Felin. n. 9. Quarto, confessio sive expressio debiti geminata, atque etiam conditionata; quòd ex ejus repetitione causa subesse praesumatur, & conditio locò causae succedat, Felin. l. cit. n. 16. Sc.

Dixi secundò, Contra recognoscen- 55. tem; quia ejusmodi chirographum seu privata scriptura ab eo, adversus quem producitur, non recognita, quòd sua manu exaratam, aut subscriptione munitam esse neget, nihil probat; quamdiu enim ejus chirographum esse non apparet aut probatur, pro tali haberi non potest; cum aliquid non esse, & non apparere, vel probari paria sint, l. Duo 30. ff. de Test. tutel. & l. Lege, 77. ff. de Contrab. empt. cit. Everardus cap. 9. n. 137. & Haunold. n. 516.

Eò itaque, adversus quem scriptura 56. producta est, eam esse negante, producenti incumbit probatio: quae tribus modis fieri potest.

Primò, per duos idoneos & fide dignos testes, de ipso contractu, vel aliò actu, aut negotio ita, ut scriptura refert, gesto deponentes: quorum id asserentium testimonio negotium, etiam nullam scripturam existente, legitime probari, nemo facile inficias ibit, contra textus c. In omni, 4. & l. Ubi numerus, 12. ff. de Testib.

Deinde, per testes, non de ipso negotio seu instrumenti tenore, sed de scriptura solum testificantes: quorum non eadem semper, sed pro causarum diversitate varia vis est. Primò enim, si solummodo chirographum manu seu caractere ejus, contra quem productum est, exaratum asseverent, non plene, sed semiplene duntaxat probant; quia non de re sive scriptione, sensu immediate percepta: sed per discursum & unius characteris cum alio comparisonem, deducta 57. depo-

C c c 3

deponunt, Felin. in c. Scriptura cit. n. 14. Covarruvias Practic. cap. 22. n. 6. & Everard. cit. cap. 9. n. 145. Secundò, si de chirographi scriptione vel subscriptione, à se presentibus visa, testificentur tres idonei testes, id asseverantes, plenè probant, Novell. 73. cap. 1. quando contractus excedit libram auri: cum verò hanc non excedit, duos sufficere, ex Glossa in cap. 1. & V. Non minus tribus, & cap. 8. V. Illi autem delumunt cit. Covarruvias n. 3. & Everard. n. 141. in fine. Tertio, si ejusmodi scripturæ propria manu subscripti tres, & in contractu, libram auri non excedente duo solùm, testes propriam manum recognoscant, & illam ab eo, adversus quem producti sunt, scriptam aut etiam subscriptam asserant, plenam fidem faciunt, cit. l. Scripturam Novell. 73. cap. 1. & cap. 8. Everard. l. cit. à n. 142. Quarto, si ex tribus testibus, qui chirographo subscripserunt, suam aut ejus, contra quem productum est, manum recognoscat tantum unus, reliquis absentibus vel mortuis, non plenè (imò in contractu libram auri excedente nec semiplenè) probat; ut proinde ad plenam fidem judici faciendam unum testem, de ipso negotio deponentem, comparationem literarum vel alia adminicula pro varia quantitate, super qua initus est contractus, majora vel minora accedere sit necessè, Everard. ibid. n. 144.

58. Demum per comparationem literarum, si nimirum chirographum confecturatur cum alia scriptura, quam manu ejus, contra quem producitur, exaratam, ex ejusdè confessione vel approbatione constat: quæ tamen comparatio, licet scripturas omnino similes ostendat, semiplenà majorem fidem ordinariè non facit, si alia adminicula non accedant, Mascard. de Probat. Proem. q. 12. n. 2. & Menochius de Arbitr. casu 114. n. 6. cum, ab

hujusmodi literarum collatione desumptam probandi vim in praxi à iudicis arbitrio multum pendere, monuisset.

Tertio, eadem instrumenta & scripturæ merè privatæ, etiam scribentis sigillo & subscriptione munitæ, si aliis adminiculis non adjuventur, in præjudicium tertii, qui scribentis hæres non est, probandi vim non habent, l. Instrumenta cit. Ratio perspicua est; quia talis scriptura est testimonium unius hominis, non jurati & extra iudicium aliquid asserentis vel negantis: testi autem non jurato & extra iudicium deponenti fides non adhibetur, cit. Everardus num. 177. & Haunold. n. 524. Nisi, qui scripturam confecit, eam in iudicio productam recognoscat, eaque contenta vera esse juratus asserat; ita enim semiplenæ probationis vim à scribentis, fide aliàs digni testimonio obtineret.

Dixi etiam, *Qui scribentis hæres non est*; quia enim iste eadem persona confecturatur cum defuncto, istius scriptura etiam contra hæredem probandi vim habet, arg. l. Nam posteaquam, q. 8. fin. ff. de Jurejurando: quam etiam scriptura privata contra tertium obtinet, si istius mandatò scriptam esse constet: vel ejus sigillò aut subscriptione sit munita: vel, quòd est stare velint, inter producentem & tertium, contra quem producitur, convenit; his enim casibus, à mandato, manu, sigillo, consensu, probandi vim, quæ aliàs desinitur, consequitur, cit. Everard. à n. 181. qui n. 186. eisdem scripturis, si veteres sint, vim præsumptionis, & aliquando semiplenæ probationis, in factis antiquis tribuit cum Felino in c. Scriptura cit. n. 10. & Speculat. Tit. de Edit. Instrum. §. 7. n. 5.

Hactenus tradita, licet generaliter procedant, specialis tamen probandi vis à DD. tri-

DD. tribui solent nonnullis scripturis privatis, quales sunt

62. Primò Epistolæ five literæ, ut vocant, Missivæ; etsi enim istæ contra scribentem ejusque heredem, uti & contra tertium eandem: majorem tamen, quàm aliæ scripturæ privatæ, probandi vim aliquando habent contra eum, cui sunt inscriptæ; casu enim, quò iste literas, quibus debiti solutio, vel in aliquam obligationem consensus petitur, sibi inscriptas legit, & sine ulla contradictione retinet, eò ipsò, quæ literis continentur, approbare & vera esse confiteri præsumitur, l. *Emptror*, 47. §. 1. ff. de *Pactis*, l. *Si filius familias* 16. ff. ad S. C. *Maced.* & *Clement. 1. de Procurat.* ex cujus dispositione literas mandati Procuratorii scienter, & sine protestatione, recipiens, eum, à quo missæ sunt, in omnibus causis & negotiis, ad quæ literæ se extendunt, defendere tenetur; quòd, si ejusmodi literas perlectas retinuisse convincatur, in mandatum probetur consensisse: quod ad procuratoris constitutionem exigitur, l. *Filius familias* 8. §. 1. ff. de *Procurat.* *Felinius in e. Scripta cit. n. 32.* *Decius ibid. n. 15. cit. Everard. cap. 10. num. 44.* & *Petr. Barbosa in l. Quæ dotis, 33. ff. Solutio matrim. n. 158.* Ne autem, qui Epistolam misit, ejus receptæ & lectæ probatione facile destituatur, salubrem cautelam suggerunt *cit.* DD. ut nimirum literæ, quibus debitum, obligatio &c. continetur, legantur coram testibus, qui postea earum receptioni & lectioni sint præsentés.

64. Secundò, libris Rationum privatarum. Non quibuscunque; cum regulariter instar aliarum scripturarum, etiam illi, si aliunde non roborentur, contra scribentem, non etiam pro eo probent, l. *Rationes*, 6. §. 1. *Exemplo 7. C. de Probat.* quòd aliàs alium debitorem sibi con-

situere quis posset, l. *fn. C. de Concinnand. ff. de debitor.* Sed imprimis Mercatorum, quæ quam vim habeant, à n. 46. explicatum. Deinde Sociorum: à qui-  
65. bus aut eorum uno, à cæteris approbato, debitò modò, hoc est, eorum usu vel conventionem receptà, vel probatà formà conscriptus liber rationum, si verisimilia contineat, inter eos plenè probat etiam pro scribente; quòd ad recognoscendum & ratum habendum talem librum socii se tacite videntur obligasse; cum absque hoc nemo facile subiret onus conficiendi librum rationum, quæ contra, non etiam pro se, usui fore, sciret, *Haunold. cit. Traët. 5. n. 572.* Et demum, Tutorum, Curatorum & similibus ex officio administrantium bona aliena; à talibus enim conscriptis libris quoad ea, quæ ad ipsorum officium pertinent, plenam fidem pro scribente tribuunt Doctores: qui tamen ad ejusmodi librum, ut hanc vim obtineat, plura & Primò quidem exigunt; ut à probatæ & minimè suspectæ fidei persona sit conscriptus, ejusque juramentò confirmatus. Secundò; ut, quæ eò descripta sunt, officio convenientia, & personarum qualitibus, rerum pretiis, aliisque circumstantis spectatis, verisimilia sint. Tertio; ut eadem talia sint, quæ de Jure vel consuetudine testes, aut alias solennitates non requirunt, & cõmuniter non nisi per rationum libros solent probari. Quarto; ut in eo contineantur tam data, quàm accepta, & exprimentur causæ, ob quas: personæ, in quas dies, quibus aliquid est expensum, vel solutum. Quintò; ut non contineat mixturam extraneorum, hoc est, ad officium non pertinentium negotiorum: quæ late & accuratè expendit *cit.* *Everardus cap. 11. à n. 27.*

66. Tertio, Scripturis privatis, continentibus obligationes, à procuratore descriptas

scriptas in charta vacua, sive, ut vocant, Bianca: quæ sigillò & subscriptione jam munita, à domino tradita procuratori fuit, ut in ea describerentur obligationes, ab isto domini sive mandantis nomine contrahendæ. Quibus tamen, sicut si, quæ mandata est, obligatio inscribatur: vel aliud, quod in ejusmodi charta descriptum, à domino lectum & ratihabutum fuisse constet, aut legitime probetur, magna: sic exigua probandi vis edversus dominum tribuitur, si iste chartam vacuum traditam, & obligationes, quæ eâ expressæ sunt, contra vel præter suum mandatum & intentionem scriptas esse excipiendò opponat & probet; cùm, qui ignorat, consentire non intelligatur, *l. Nec ignorans, 10. C. de Donationibus*. Unde, qui scribenti credidit, sibi imputare debet; quòd fidem habuerit ei, cujus mandatum ignoravit, *cite. Everardus cap. 12. num. 78. & Haunold. n. 595. & convenire debet non tam dominum, qui vacuum chartam tradidit, quàm scribentem: quem, si aliud, quàm mandatum est, scripsisse: uti & eum, qui sigillò, ab aliquo sibi creditò, abusus esse convincatur, pœnæ falsi obnoxium esse, cum Innocentio in c. Scripta cit. & Panormit. in c. cit. n. 18. iidem docent.*

68. Quartò, Scripturis privatis munitis sigillò. Non quocunque, sed publicò, juxta dicta num. 441. quia privatum sigillum, perinde ut hujusmodi scriptura contra scribentem quidem & sigillantem plenè, in præjudicium autem tertii regulariter nihil probat. Alienæ etiam scripturæ appositum ab aliquo sigillum: uti & ejus subscriptio, ab apponente & subscribente in judicio recognita & approbata, majorem quàm alicujus idonei testis probandi vim non habet, Pirrhing *hic num. 38.*

69. Quintò, demum aliis Scripturis pri-

vatis, quando inter partes, se iis statuta convenit: & quando pars, contra quam in judicio producantur, eis nihil opponit, quia, non opponendò eas approbare, & veras esse confiteri, censetur, Hostiens. in c. Quoniam 11. de Probat. & Cravetta de Antiq. temp. p. 1. §. Viso, à num. 23. uti etiam quando scripturarum publicarum instar longo tempore observata, & secundùm eas in judicio productas inter partes & alios fuit judicatum, Baldus in l. Exemplo, cit. & Malcard. de Probat. conclus. 131. n. 19.

#### ARTICULUS V.

### De Productione Instrumentorum.

#### SUMMARIUM.

70. Edenda hæc sunt post Litem contestationem,
71. Usque ad conclusionem in causa:
72. Non post hæc, sed regulariter tantùm.
73. Edenda autem sunt judicij:
74. Uti & reo ab Allore:
75. Non vicissim huic à Reo:
76. Nisi utrique communia sint,
77. Vel in instrumento reus fundat suam exceptionem,
78. Vel ad intentionis probata declarationem:
79. Uti & cum actor privilegiatus,
80. Vel reus reus injustus deceptor est.

**E**Di & produci Instrumenta debent post litem contestatam, sicut testes, c. Quoniam 5. pr. de lite non contest. cùm, sicut illi, etiam ipsa adhibeantur ad instructionem causæ & litis: quæ non est ante litem contestationem, Glossa in c. Super, 27. V. Litem contestatam

ordium, de Offic. deleg. nisi instrumento personam suam legitimare actor velit; hoc enim casu statim ac de legitimatione agitur, id adversario est edendum, arg. l. Non ignorat, p. C. de His, qui accus. vel utriusque litigantium sit commune, vel ejus mentio fiat in libello; hujusmodi enim instrumenta adversario petenti ante edenda, ex c. G. perpetuus 12. §. l. 1. §. 1. & 3. ff. de Edendo, desumi solet. His tamen casibus, ut probent, ea post litis contestationem reproducenda, notant Wesenbec. Consil. 3. num. 34. & Vallens. ad hanc Rubric. §. 3. n. 5.

71. Lite autem contestata semper produci possunt usque ad conclusionem in causa, etiam post factam testium publicationem, c. Cum dilectus, 9. pr. cujus ratio est; quia in hac productione non subest periculum subornationis; propter quod post publicationem illam alii testes nequeunt produci, c. Fraternitatis, 17. de Test. & attest. ut nihil dicam; quod falsitas instrumentorum facilius, quam testium corruptio deprehendatur, Glossa in c. Cum dilectus cit. V. Post publicationem, & cum ea Vivianus in c. cit. pr. Nisi tamen certus terminus, seu tempus, intra quod instrumenta omnia producenda sint, fuerit constitutum: quod ex justa causa à iudice fieri posse, censet Speculat. Tit. de Instrum. Edit. §. 15. n. 1.

72. Post conclusionem in causa produci regulariter amplius non possunt, arg. Cum c. dilectus cit. quia conclusio illa allegationum quædam renuntiatio est & terminus ulteriorum exclusivus; ut, eâ factâ, de causa omnino liquere dicatur, Glossa in c. Significaverunt, 76. V. Liquere, de Test. & attest. ubi Felin. n. 1. & Speculat. cit. §. 15. pr.

Hoc regulare duntaxat, non perpetuum est; cum non desint, & in c. Cum dilectus cit. à Panormit. n. 3. & Felino

à n. 13. referantur vati à nobis Tit. 27. à n. 6. declarandi casus, quibus instrumentorum productioni postea locus est in eadem, & præsertim in diversa instantia; quia in hac, sive in appellationis iudicio novis, & in prima instantia omissis, probationibus & exceptionibus uti licet: dummodo non ad novum, sed aliquod ante in iudicium deductum capitulum pertineant, l. Per hanc divinam 4. C. de Temp. appell. Donell. Clement. Lib. 28. cap. 8. Bruneman. in l. cit. n. 2. & Perez n. 6.

Edi autem instrumentum, super quo intentionem suam producens fundat, oportet ipsi iudici; & quidem totum: quod ex recepta praxi cum Bartolo in Rubric. ff. de Novi oper. nunt. n. 7. docet Gail. Lib. 1. observat. 106. n. 10. ut, toto ejus tenore inspecto & intellecto, iudicare valeat, an revera articulus, ut allegatur, in instrumento contineatur; Inutile enim est, nisi totâ lege, vel dispositione, perspectâ, unâ aliquâ particulâ ejus propositâ, iudicare, textus est, l. 24. ff. de LL. Parti autem ad-

74. versæ instrumentum, plures omnino separatos articulos continens, non necessariò totum, sed ille duntaxat articulus exhibendus est, qui ad propositam causam facit, c. contingit 5. ubi hujus ratio redditur; ne pars in omnem cavillandi occasionem intenta, si totius copiam consequatur, nova litigia suscitet: quod iudex ex officio impedire & cavere debet; ne lites ex ipsis litibus orientur & immortales fiant, c. fin. 5. de Dolo §. l. Quidam 21. ff. Si certum petat, Glossa in c. Contingit cit. V. Suscipientur Vivianus in c. cit. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 48. not. 3.

Dubium est, an, plenâ probatione a- 75. liunde deficiente, litigantium unus alterâ propria sua instrumenta & suarum rationum libros edere teneatur. Ratio dubitandi de Negativa est; quod iudex omnibus modis inquirere debeat in rei veritatem,

D d

ritatem,

ritatem, *can. Judicantem, 30. q. 5. §. l. Illicitas 6. §. 1. ff. de Offic. Præs. de rei autem veritate vix aliunde liquidius, quam ex instrumentis constat, l. 1. §. l. apud quem 2. ff. de Edendo. De Affirmativa autem; quod Juris & Æquitatis ratio non permittat; ut quis adversarium contra se instruat, eique præbeat arma, quibus oppugnetur, l. Qui accusare 4. §. l. fin. C. de Edendo. Verum, quia textibus illis specialiter reis, in judicio laborantibus subvenitur.*

Regulæ instar à DD. receptæ ea inter actorem & reum differentia est; quod ille quidem huic: non tamen vicissim iste sive reus sua instrumenta edere cogatur actori, secundum *citt. & cæteras l. C. eadem Rubr.* ubi hujus inter eos differentia ratio redditur; quod, cum in actoris, utpote provocantis, potestate sit, quandounque vult, adversarium convenire, l. Unica C. Ut nemo invitus §. l. Purè 5. §. fin. ff. de Dolis excepti, ad judicium accedere debeat probationibus propriis: non ab adversario, quasi arma in se ipsi ministrante, mutuatis documentis, quibus intentionem suam funder, *can. Si testes 3. §. Qui intendit, 4. q. 3.* Contra verò æquum sit; ut reo, qui ad petitionem actoris invitus, & non, ut ille, instructus in judicium trahitur, exhibitis ab actore instrumentis succurratur; quia rei, cum ad se defendendum: non ad impugnandū alios, ut actores, in judicium veniant, favorabiliores sunt, quam actores l. 2. §. ff. de R. J.

76. Sunt tamen non pauci casus, quibus contra hanc Regulam instrumenta actori edere etiam reus debet: veluti Primò; si instrumenta utrique communia sint, *c. G. perpetuus 12. de Fide instrument. l. Prator 4. §. 1. l. Quadam 9. pr. ff. de Edendo l. Si que 5. ff. Famil. hercis. quia communia instrumenta petendò, petimus, quod aliquo modo est nostrum; cum, quod commune est, meum quoque cen-*

seatur, l. Prator §. 1. *cir. l. Mud 46. ff. de Ritu nupt.* Communia autem instrumenta sunt vel ratione proprietatis, ut hæredibus testamentum, & ipsius vel sociis instrumenta defuncti vel societatis, apud quemcunque asseruntur: vel ratione causæ sive actûs descripti, ut v.g. instrumenta Originalia emptionis venditionis, vel alterius contractûs, inter aliquos celebrati, utriusque causâ, & sumptibus communibus confecta: vel ratione publici officii & personæ ea conficientis, ut Protocollo & Acta publica judiciorum, ad publicam utilitatem conscripta: vel ratione finis, ut quæ facta sunt pro cautione plurium, v.g. instrumenta & actiones tutorum, curatorum, procuratorum & cæterorum, qui aliena negotia administrant, Panormit. *in c. 1. hic à num. 27. Speculat. de Instrument. Edit. §. 6. n. 17. & Gaill. Lib. 1. observat. 107. à num. 4.*

Secundò, si reus ad exceptionem suam fundandam instrumenta in judicio producat; hæc enim sibi exhiberi ad probandam replicationem suam Jure petit actor; cum reus quid allegans, quod exceptionem suam fundat, subire videatur partes actoris, l. In exceptionibus 19. pr. ff. hic & contra actor replicaturus eis loco rei, l. Exceptio, 2. ff. de Excepti. Bruneman. *in l. 1. ff. de Edendo num. 12. et communi aliorum.*

Tertiò, si actor intentionem suam principalem, v.g. quod fundus censui obnoxius, in feudum vel emphyteusim sit concessus, fundatam habeat: sed quomodo, quibus conditionibus ostendere non possit, hoc enim casu, ut de obligationis, quoad substantiâ probatæ, modo constat, instrumenta sua actori petenti edere reum tenet, docet Baldus *in l. fin. C. de Edendo.*

Quartò, si instrumenta & rationes suas citra suam culpam incendiò, naufragiò, hostili direptione perditã actor ostendat

stendat; eò enim casu ad sua edenda reum compelli posse, suadet æquitas, & delimitur ex l. *Si quis* c. ff. & l. 1. C. de Edendo.

Quintò, si actor specialiter sit privilegiatus, ut fiscus: ad cuius intentionem fundandam instrumenta sua edere cogitur reus, quoties super causa pecuniaria convenitur, l. *Ex quibusdam* 2. §. 1. & 2. ff. de Jure fisci. Quod fisci privilegium, Ecclesiis & aliis locis sacris ac religiosis; quòd istorum non minor, quàm fisci, favor sit: & cæteris piis, ut sunt pupilorum, viduarum, ac favorabilibus, ut sunt matrimonii, alimentorum, dotis, libertatis causis, in c. 1. hic adstrunt Panormit. n. 19. Felinus num. 11. & alii, quos refert & sequitur Pacian. de Probat. Lib. 1. cap. 33. à n. 47.

80. Sextò, si usurarii & similes injustè partorum detentores, ad usurarum & aliarum rerum malè detentorum restitutionem convenientur; eos enim ad instrumenta & rationum suarum libros exhibendos, etiam, si opus sit, per censuras Ecclesiasticas compellendos, *Clement. Umic. de Usuris* statutum est, in odium usurariæ iniquitatis & bonum animarum; quarum à peccatis liberatio & æterna salus malè partorum plena restitutione procuratur, *tit. Panormit. n. 9. Felinus n. 21. & latè Pacianus à n. 66.*

## ARTICULUS VI.

## De Instrumentorum Reprobatione.

## SUMMARIUM.

81. *Reprobantur ea I. ex persona confitentis;*  
82. *Quam verum Notarium fuisse probandum est.*

83. *Valent Instrumenta Notarii communiter existimari,*

84. *Eriam non habentis titulum coloratum.*

85. *II. Quòd contrarium sit alii instrumento;*

86. *Quorum dignius probat, si à diversis;*

87. *Si ab eodem producta sunt, utrumque rejicitur,*

88. *Sive contraria sint directè, sive indirectè;*

89. *Sive ab Actore, sive à Reo producta,*

90. *Sive utrumque, sive alterum tantùm publicum sit.*

91. *III. Quòd contineant falsum;*

92. *Quòd per instrumenta vel testes,*

93. *Eriam non instrumentarios,*

94. *Et hujusmodi duos tantùm probarè potest.*

95. *Discrimen inter testes Instrumentarios & Judiciales.*

96. *Falsitas unius partis reliquas aliquando vitiat,*

97. *Aliquando intactas relinquit.*

98. *IV. Quòd de falso suspectum sit ex variis causis.*

99. *Instrumentum vitiant rasura, litura &c.*

100. *Falsa in parte substantiali.*

101. *Quæ talis instrumenti pars sit?*

102. *V. Quòd eò intentum non probetur.*

**I**nstrumenta, ad intentionem vel exceptionem suam fundandam, à litigantibus in judicio producta frequenter impugnari, eorùmque fides reprobari, aut minui ex variis causis potest, ac solet. Cujusmodi sunt

Primò; quòd confectum non sit à Notario publico: quòd deficiat in solennitatibus, ad publicum vel authenticum Instrumentum Jure vel Consuetudine requisitis;

D d d 2

quisitis: quod nec sit Originale, neque istius Copia legitime confecta. Quali oppositione, praesertim Notarii personam concernente, publici instrumenti fides tota convellitur; cum istius auctoritas praecipue fundetur in eo, quod confectum sit à persona, publica auctoritate electa & contestata, c. *Cum P.* 15. & *Novell. 44. cap. 1.* quâ deficiente instrumentum jam non publicum est, sed privatum ac probandi vi destitutum, c. *Scripta* 2. *Felinius in c. 1. num. 18.* & *Beroius Vol. 2. Consil. 1. n. 54.*

32. Quare, cum instrumento opponitur, ejus authorem Notarium publicum non fuisse, id, tanquam aliquid facti, & qualitas homini neque à natura neque communiter inexistens, sed merè accidentaria, ab eo, qui instrumentum produxit, probari, est necesse, *arg. can. Paris 38. dist. 2. de Consec. & c. Cum in Jure 31. de Offic. deleg. Felinius cit. n. 18.* & *Speculat. de Instrument. Edit. §. 8. num. 39.* Probari autem id potest per testes, qui ipsius creationi praesentes interfuerunt, *l. Judices 5. per instrumentum publicum super ea confectum, l. In exercendis 15. C. hic:* per matriculam, cui Notariorum nomina sunt inscripta: per famam & communem Opinionem: per plura instrumenta successivè ab eo confecta, & quasi possessionem officii Notariatus: per litterarum & characterum comparisonem, *Everardus de Fide Instrument. cap. 5. à num. 2.* & *Haunold. Tom. 5. de J. & J. Tract. 4. n. 426.* Unde

33. Dubium oritur de valore instrumenti, confecti ab eo, qui pro Notario, publica auctoritate constituto, cum revera non sit, aut esse desierit, communi errore habetur. Quod invalidum esse, voluit Jafon in *l. Barbarius 3. ff. de Offic. Prat. Speculat. §. cit. n. 32.* *Everard. cit. cap. 5. n. 11.* & *Hunnus in Treutl. Vol.*

*2. dist. 5. q. 6. eâ ducti ratione;* quod creatio Notarii sit de reservatis Principi, Innocentius in *c. Cum P. cit.* ac proinde Notarius quis fieri nequeat communi errore hominum: qui, licet expressè velent, auctoritatem publicam alicui conferre non possent, *arg. l. Privatorum 3. C. de Jurisdic.*

Sed Juri, istiusque rationi magis consentanea & crebriori DD. calculo recepta est Opinio Bartoli in *l. Barbarius cit. à n. 45.* ejusmodi instrumentum pro publico & valido habentis, *arg. l. cit. §. Veruntamen, post can. Infamius, q. 7.* quod, interveniente errore communi, propter utilitatem publicam, auctoritatis à legitima potestate acceptæ defectum Respublica suppleat, Cui doctrina, juxta dicta *Tit. 1. n. 87.* probabilis locus est, cum, qui errore communi pro Notario habetur, caret titulo coloratò, acceptò ab eo, penes quem ipsius constitutuendi est potestas; cum utilitatis, sive boni publici ratio, auctoritatis defectum suppleri, non minus exigat in eo, qui título coloratò caret, quam in eo, qui illum habet, ut rectè arguit *Haunold. Tract. cit. n. 428.* & luculenter confirmatur ex *Novelle 44. cap. 1.* sub cujus finem gesta per alterum, delegatum à Tabellione, qui alterum delegandi potestatem non habebat; atque sic per eum, qui título coloratò, ab habente potestatem conferendi accepto, carebat, propter utilitatem publicam non infirmanda dicuntur.

Neque difficultatem facit in contrarium allata ratio; quia dare jurisdictionem de Principi reservatis non minus est, quam creare tabellionem: & tamen, communi errore interveniente, & poscente utilitate publica, illius in judicantis persona defectus à Republica; non, ut Adversarii perperam supponunt, à privatis communiter errantibus, suppletur.

Secundo,



85. Secundò, instrumento opponi potest; quòd contrarium sit alii instrumento, & cum isto verisimili interpretatione nequeat conciliari; contraria enim instrumenta, si producantur à diversis, digniori, hoc est, magis authentico, & à falsi suspicionem remoto, fidem adhibendam, ex *l. Optimam 14. C. de Contrah. stipul.*, desumi solet cum *Glossa in c. Imputari 13. V. Contrarias*. Si verò ea sint parè omnino authoritatis, & causa non specialiter favorabilis, contra eum, qui probare debet, sive is actor, sive reus sit, pronuntium, *arg. c. Ex literis 3. de Probat.*, tradit *Panormit. in c. Imputari cit. n. 3.*
- Contra eundem pronuntium casu, quò duo contraria instrumenta ab eodem producantur, suadet paritas cum testibus: quorum, pluribus contraria deponentibus, veriora testimonia plerumque
87. præferuntur juxta dicta *Tit. 20. n. 94.* Sed latum hac in re discrimen intercedit inter testes & instrumenta; cùm illos producenti, quòd futuras eorum depositiones ignoret, imputari nequeat, quòd elegerit sibi adversantes; contra instrumentorum à se productorum tenorem rescire quis possit ex eorum lectione: quam omittens sibi imputare debet damnum quòdcunque, ex inconsulta productione emergens; quia Jura vigilantibus & non negligentibus subveniunt, *l. Pupillus 24. in fine, ff. Quia in fraud. credit.* *Glossa, V. Contrarias cit.* Quare, tali casu fidem neutri adhibendam, decisum *c. Imputari cit. § l. Scriptura 14. C. hic*; quia instrumenta producents ea approbare, in eis que contenta vera esse confiteri videtur; ac proinde contraria producents, tanquam sibi ipsi repugnans, meritò non auditur: & sibi imputare debet; quòd, cùm utrò ex duobus vellet, uti potuisset, usus sit utroque. Ita cum aliis *Interpp. & DD. in c. cit.* *Gonzalez n. 4. § l. cit. Bruneman. n. 2.*

Qua resolutio procedit Primò, si 88. producta instrumenta contraria sint directè, *vg. si duorum productorum alterò, Cajo prædium à Titio Calendis Februarii venditum, alterò id eòdem die huic donatum exprimat, Glossa in l. Scriptura cit. V. Eòdem, & Panormit. in c. Imputari cit. n. 2.* Secundò etiam, si instrumenta contraria sint solùm indirectè, *vg. si uno, Calendis Februarii prædium Cajo venditum, vel centum promissa Viennæ: altero illius venditionem & horum promissionem iisdem Calendis Augustæ factam referatur; hæc enim, licet quoad rem venditam, aut summam promissam conveniant, inter se tamen aperte pugnant quoad circumstantiam loci, cùm fieri nequeat, ut iisdem Calendis, sive eòdem ejusdem anni die, quis Viennæ fuerit & Augustæ, Glossa in c. cit. V. Contrarias.* Tertiò, si contraria instrumenta, Actor sive Reus producat; etsi enim iste, ad defensionem & innocentiam suam probandam duas contrarias exceptiones opponens audiatur, *l. Nemo 8. ff. de Except. § l. Nemo 43. ff. de R. J. &*, postquam hominem à se occisum negavit, de eò convictus se tueri valeat excipiendò, se sui adversus injustum aggressorem defendendi gratià & inculpatæ tutelæ moderamine servatò, occidisse: &, postquam pecuniam deberi negavit, ejus debitò ab adversa parte probatò, allegare valeat, se solvisse, vel debitum sibi remissum: id tamen non procedit, cùm ad sui defensionem à reo producantur duo contraria instrumenta, *c. Imputari § l. Scriptura cit.* quòd alterum alterius fidem ipsà utroque simul utentis professione elidat, *Joann. Andr. in c. cit. n. 5. ubi Panormit. n. 2. Laiman. n. 1. & Pirrhing ad hanc Rubric. n. 67.*

Neque obstat; quòd, cùm duæ contrariæ professiones de hominis ætate

D d d 3                                  profe-

proferantur, non utraq̄ue: sed alterâ tantum, eâ scilicet, cuius fidem constare minus credibile est, reiectâ, alterâ, quæ aptior & vero proximior est, à iudice sit assumenda, *l. Cum de atate 13. ff. de Probat.* quia hic textus exaudiendus est de contrariis professionibus à diversis: non ab uno eodemque probatis, ut communem Interpp. intellectum secutus Witenbach notat *in l. Scriptura cit.*

90. Neque, ut *in l. Scriptura cit. n. 13.* Baldus existimat, hæc in re differentia statuenda est inter instrumentum publicum & privatum; sive enim publicum, aut privatum utrumque: sive unum publicum, alterum privatum sit, neutri creditur; cum enim contra producentem, sicut publicum, ita etiam privatum plene probet, imò hoc publici vim obtineat: & qui instrumentum contra alium producit, id recognoscat, & verum esse fateatur, tanquam sibi ipsi contrarius, fidem non meretur: etsi, quando instrumento privato ab adversario producto publicum opponit, illius vim elidat, Panormit. *in c. cit. n. 4. & in l. cit.* Sichardus *n. 3.*

91. Tertio reprobari instrumentum potest, quòd sit, seu contineat falsum *c. Accipimus 4. & l. Si uteris 2. C. hinc* probando aliquid impossibile cum eo, quod asseritur in instrumento, v.g. si negotium, quod eò describitur, nunquam, aut aliter, quàm refertur, gestum: vel testes instrumentò nominatos non interfuisse actui, pro quo in eo allegati sunt, opponatur. Ex qua causa vel per Instrumentum, vel per testes impugnari solet, *l. Optimum*

92. *14. C. de Contrab. Stipul.* Per Instrumentum, si hoc fiat, juxta dicta major fides habenda est digniori & verisimiliori; quia semper potentior probatio minus potentem & debiliorem vincit, *arg. c. In nostra 32. de Test. & attest.* Si impugna-

tio fiat per testes, interest, an hi instrumentarii, vel extranei sint.

Si enim instrumento inscripti, vel subscripti testes omnes contra id, tanquam falsum, deponant: & vel se eius confectiõni & actui, super quo confectum est, non interfuisse, vel aliud actum, aliud scriptum asserant, instrumenti fides tota vacillat, & si testes falsi non convinctur, penitus enervatur, *c. Tertio 5. de Probat. & c. Tam literis 33. de Test. & attest.* Panormit. *in c. Cum Joannes 10. n. 14. ubi Felinus n. 46. & Menochius de Arbitr. casu 105. n. 9.* Ratio est partium quia ex tali contradictione aperte interitur defectus solennitatis instrumenti, cuius fides à fide testium accipit firmitatem, *Novell. 73. cap. 3. & 7.* partim verò; quia ita falsum continere convinctur; cum inscriptorum personas, quæ abfuisse probata sunt, fuisse asserat præsentem,

Quin etiam, si inscriptorum testium non omnes, sed aliqui duntaxat, se actui præsentem fuisse negent, nihilominus instrumentum tanquam falsum reprobarent; quia, licet actus eò, quòd reteretur, modò gestus sit & probetur à testibus re fiduis & numero sufficientibus, ipsum tamen continet falsum; cum præsentem fuisse asserat, qui non interfuerunt, *Barthol. l. In exercenda cit. n. 8.* Casu tamen, quò reliqui instrumentarii (aut etiam extranei) testes, non se duntaxat, sed eos quoque, qui id negarunt, actui interfuisse deponerent, istos convincerent mendacii, & instrumenti fidem plene confirmarent; quòd ipsi, præsertim accedente Notarii iñtusque sigillò muniti instrumenti auctoritate, contrarium asserentibus numero & auctoritate sint potiores, Ant. de Butrio *in c. Cum Joannes cit. n. 43. & cit.* Everard. *cap. 5. n. 102.*

Si per testes extraneos instrumentum falsitatis convincere, ejusque fidem convel-

convellere pars adversa conetur, locus, imò opus est distinctione; vel enim testes instrumentarii superstites sunt, vel non? Si prius, & superstites in iudicio examinati pro instrumento deponant, ipsis fides præ extraneis adhibenda, & pro instrumento pronuntiandum est: nisi contra hos deponentes extranei numerò & auctoritate prævalerent, *citt. Felinus n. 43.*

94. Everard, n. 144. & Haunold, n. 441. Si posterius & instrumentarii superstites non sunt, ad instrumenti fidem infringendam regulariter, duos omni exceptione majores & præviò juramentò legitimè receptos testes sufficere, cum Panormit. *in c. Cum Joannes cit. n. 11.* Felino *ibid. n. 35.* Covarruvia *Lib. 2. Var. cap. 13. n. 11.* & *Practic. cap. 20. n. 6.* defendunt laudati Everard, n. 135. & Haunold. *l. cit.* id de sumptibus ex *l. Optimam 14. C. de Contrab. Stipulat. junctâ l. Ubi numerus 12. ff. de Testibus*, quarum prioris *V. Et si*, instrumentum per testes undique idoneos & omni exceptione majores, tanquam falsum, reprobari permittitur, numeri tertium nullâ factâ mentione: posteriori, ubi numerus tertium expressus non est, duos sufficere est decisum. Rationem DD. *citt.* reddunt; quòd instrumentum publicum præcipuè nitatur Notarii, tanquam personæ publicæ, auctoritate: quæ tanta non est, ut duobus omni exceptione majoribus testibus non cedat.

Hanc tamen resolutionem oppidò difficilem reddit Jus & ratio. Illud *c. Cum Joannes cit.* quòd textu ad reprobandum instrumentum publicum quatuor testes adhibiti sunt. Ista; quia tantâ probandi vi pollet instrumentum publicum, quantâ duorum testium in idem conspirantes depositiones *l. In exercendis cit.* Cum ergo ad hoc, ut probatio instrumento prævaleat, major probandi vis exigatur, nec sufficiat æqualis, *arg. l. Nam magistratus*

*4. ff. de Recept. qui arbit. ad reprobandum instrumentum publicum non sufficit testimonium duorum; imò nec trium; cum in publico instrumento præter Notarium, qui testis qualificatus est, ut minimum duo alii testes soleant ac debeant intervenire. Sed hæc, licet vehementer impetant, duorum tamen testimonium & nostrum de eo sensum non convellunt, Textus quidem; quia, licet in *c. cit.* casu quatuor producti sint, eò ramentò numerò necessarios, & pauciores insufficientes fuisse, non statuitur. Quòd si *c. cit.* tres 95. saltem testes necessarios fuisse, quis contendat, non adversor; cum enim in ejus casu, præter publicum instrumentum in legitima formâ exhibitum, productus & cum Notario examinatus fuerit unus testis instrumentarius, ad illud istorum testimonii suffultum reprobandum, ut minimum tres testes necessarios fuisse *in c. cit.* rectè notant Panormit. n. 13. & Felinus n. 43. Ratio est partim; quia, cum *c. cit.* instrumentum publicum eadem vi pollere asseritur, quâ duo testes, id exaudiendum est de vi sufficienter probandi intentionem actoris, vel rei exceptionem: non simpliciter, ut ei non prævalerent duo testes, undique idonei & omni exceptione majores, *arg. l. Optimam & l. Ubi numerus cit.* Everard. *citt. cap. 3. n. 13.* & Haunold. n. 444. partim verò; quia tres personæ, quæ in instrumento publico interveniunt, non considerantur ut testes singuli, judiciales ac probatorii; cum nec jurati sint, nec examinati; sed, ut solennitas partialis, cum cæteris solennitatibus & Notario constituens unum publicum instrumentum, sive speciem probationis, de negotio fidem plenam in iudicio facientis: nisi contrariâ & urgentiori probatione, etiam duorum non simpliciter idoneorum, sed omni exceptione majorum & judicialiter receptorum, testimonio in-*

niò infringatur, Everardus *cit. n. 13.* & Haunold. *n. 445.*

Quoniam verò testes ipsaque instrumenta, uti & ex Notarii, non semper optimæ existimationis, persona, atque aliunde ortæ præsumptiones ad infirmendam aut etiam confirmandam instrumentorum fidem allegari solitæ, non ejusdem roboris & efficaciam omnes sunt, quæ aliis prævaleant aut cedant, iudicis singularum, in utramque partem militantium, qualitatem & vim æstimantis, & cum aliis conferentis, prudenti arbitrio decernendum, cum Menoch. *cit. casu 105. n. 19.* monet Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 71.*

96. Dubium hinc & Controversia est, an si instrumentum in parte aliqua falsitatem continere probetur, totum corruat. Quod aliqui absolute negant, aut affirmant. Melius Everard. *cit. cap. 5. à n. 159.* & Haunold. *Tom. 5. de J. & J. Tract. 5. à n. 448.* aliquid tribuunt Opinioni utriusque, & dubium resolvunt auxilio geminæ distinctionis.

Prima est inter falsitatis causas; vel enim ista commissa est Notarii dolò, vel errore tantum aut simplicitate? Si prius, instrumentum totum corrumpere volunt, in quacunque, etiam accessoria tantum parte, sit falsum; quia vis probandi, quam instrumentum habet, tota nititur Notarii fide & juramento, afficiente omnia contenta in instrumento: & propterea, si hoc in uno falsum esse convincatur, totum, utpote à falsario & perjuro confectum, nullam fidem meretur: sicut tanquam perjurus nullam fidem meretur testis, cujus testimonium in parte falsum convincitur esse. *can. Ad scripturas 7. dist. 9. Scan. Pur. 3. q. 9.* Ita DD. *cit.* cum Innocentio in *c. Fraternalitatis 4. de Hæreticis & communi sententia DD. teste Felino in c. cit. n. 10.* Contrarium tamen, & hujusmodi etiam unius partis falsitate alias in-

strumenti partes non affici, cum Aretino in *l. Si de falsis 42. C. de Transact.* & alius defendit Fachineus *Lib. 9. cap. 79. V. Ipsi ego;* quòd, totum vitari, jure non latè cautum, nec consonum sit rationi; cum alias omnibus, à Notario ejus auctoritate, etiam antè confectis, instrumentis fides esset deneganda. Sed hoc ita perperam inferitur; quia semel malus in eodem quidem mali genere semper, sed in futurum non etiam in præteritum & quoad actum antè gestos, malus esse præsumitur, ut rectè monet Alciatus *Reg. 2. præsumpt. 7. V. Quare.* Si posterius &, quod in dubio potius præsumitur, instrumenti falsitas proveniat ex solo errore, opus est

Alterâ distinctione; cum falsitate quidem circa substantialia, aut instrumenti partem principalem, aut talem, quæ cum cæteræ partes connectuntur, admittitur, instrumentum corruat quoad accidentales, accessorias & connexas, per *can. cit.* Eâ autem circa partes non-substantialia, aut ab aliis omnino separatas, commissa, fidem & probandi vim quoad alias partes non amittat, cum; quia ob falsitatem, ex errore vel simplicitate proveniente, perjurii redargui Notarius non potest: cum verò; ne utile per inutile vitietur, contra *Reg. 38. in 6. Everard. & Haunold. loc. cit.*

Quartò, instrumento, quod tanquam falsum absolute reprobari nequit, opponi tamen potest falsitatis suspicio, *c. Inter dilectos 6.* & imprimis quidem aliquando ex eo, quòd negotium, super quo confectum est, adnotatum non reperitur in Protocollo, in quo omnes alii actus, eodem annò & mense celebrati, sunt descripti: quòd non concordet cum Protocollo, vel in isto confisa, & mutata sit aliqua, & præsertim ea pars, seu folium, in quo res aut negotium controversum est adnotatum; & ex qua, si esset intacta, restituta veritas contra instrumentum detegere possit.

posset: quòd exaratum sit caractere & stylo ab eo, quò Notarius in huiusmodi scripturis uti solitus est, omnino diversò: quòd charta antiqua & literæ, quibus res antiquitus gesta describitur, sint novæ &c. Deinde; quòd instrumentum vetustate sit consumptum: quòd ejus sigillum non videatur esse verum, sed adulterinum, seu confictum, aut factivum vel ignotum, aut enormiter fractum: quòd ejus sculptura vel literæ deletæ, ut, ejus sit, dignosci non possit; huiusmodi enim defectus in instrumento suspicionem falsitatis inducunt, et que fidem adimunt, *c. Inter dilectos cit. V. Tertio, c. Super his 7. hic & c. Licet 5. de Crimine falsi.* Demum; quòd instrumentum contineat rasuram, lituram, scripturam superlinearem; nam etiam huiusmodi aliquid si appareat in instrumenti parte substantiali, id vitiat & suspectum saltem reddit de falsitate, *c. Inter 6. §. Instrumentum, junctâ Glossâ, V. Litura, hic & c. Cùm venerabilis 7. de Relig. domib.*

99. Idem, in quacunq; parte rasura, litura &c. appareat, statuendum suadent *c. fin. verba, Nullâ sui parte vitiatâ, l. fin. C. de Edicto Hadr. toll. ibi, Neque ex quacunq; sua forma parte vitiatum: & colligitur ex c. Ad audientiam 1. de Rescript. vi* cujus textus rescripta Apostolica unius solœcismi seu constructionis vitiò subreptitia redduntur.

Sed verius, per rasuram &c. in parte non substantiali factam, id non vitiari, docet Glossa à DD. recepta in *c. Cùm olim 14. de Privileg. propter textum c. Ex literis 3. ubi per rasuram in sola narratione facti rescriptum Apostolicum non vitiari, aut suspectum reddi, habetur: & c. Ex parte 11. unde rescripta Apostolica unius literæ vel syllabæ, & aliquando integræ vocis omissione, per scribentis errorem factâ, non vitiari, colligunt Panormit. ibi n. 2. & Felin. n. 1.*

Priores duo textus in contrarium alati de parte instrumenti substantiali & ejus formam spectante non malè explicantur à Viglio in *l. fin. cit.* & Gonzalez in *c. Ex literis cit. n. 6.* Neque paritas est rasuræ in parte non-substantiali cum solœcismo; cùm iste inducat suspicionem, quòd rescriptum à sede Apostolica non emanarit; quia ejusmodi rescripta per tot Officialium, Latinæ linguæ peritorum, manus ire solent; ut solœcismum non deprehensum, non præsumatur, Rasura autem, hòc ipsò; quòd in parte non substantiali sit, facta præsumitur ab eo, qui instrumentum primus conscripsit, Gonzalez *cit. n. 6.*

Pars autem instrumenti substantialis est illa, in qua est vis dispositionis, & quæ hanc notabiliter immutat: cujusmodi est à DD. censeatur tempus & locus in quo: nomen judicis & Notarii, coram & à quo: partium, inter quas: & rei, de qua dispositum est, quod in eo continetur, teste Pirrhing *hic n. 6.* non malè tamen in *c. Ex literis cit. Panormit. n. 3. & Gonzalez ibid. n. 5.* id relinquunt arbitrio judicis, qui ex subjecta materia & circumstantiis, quæ pars substantialis sit, aut secus, pronuntiabit.

100. Quintò; quòd, etsi nullò vitiò laboret, tamen non probet id, ad quod evincendum à parte producitur: vel, id quidem probet, sed, quia res sive negotium eò contentum cum alio gestum est, non contra partem, adversus quam producitur, militet contra finem legitimæ probationis: quâ, ut ex contractu vel alio actu aliquem obligari evincatur, hunc cum isto, vel iis, per quos isti præjudicari poterat, gestum, evincere debet, *cit. Speculat. §. 9. n. 1. Everard. n. 177. & Haunold, n. 452.*

(O) 30

E e e

TITU.